

Mausolaeum Virtutis

MAVSOLEVM VIRTVTIS ET HONORIS

PIIS MANIBVS

GVILIELMI V.

Serenissimi Boiariæ Ducis

Inter Quatuor Pyramides

A Collegio Societatis IESV *Monacensi*

Gratæ Memoriæ Erectum.

Nunc

Editione Hac Altera

Illmo. MENRADO AB HOHENZOLLEREN.

Illustrissimi Principis Filio.

Poeticæ Juventutis PRINCIPI

Obsequij caussa recusum Dicatúmq;

MONACHII

Ab Hæredibus Ioannis Hertsroy &

Cornelio Leysserio, Bibliopola, & MAXIMILIANI

Serenissimi Electoris Typographo.

Anno Christiano CIↃ. IↃC. XXVI.


FORTITER MORI, GLORIOSVM EST. SEN. EPIST. LXXIIX.



QVid in rebus humanis certius MORTE? Quid incertius hora MORTIS? Non miſeretur inopiæ, non reveretur divitias; Non Sapientiæ, non Moribus, non ætati MORS parcit: Niſi quòd ſenibus MORS eſt in ianuis; Iuvenibus verò in inſidijs. S. Bern. in ſerm.

D V X
GVLIELMVS

Se quoties scripsit PRINCEPS,
(ô Nomen, & Omen !)
Nónne fuit VATES Funeris
ipse sui?



BESTO, QVISQVIS Scenas amas, aut vana Comœdiarum: Triste funus damus, funus Magni Principis, & quo omnis Provincia percussa cladi suæ ingemiscit. Quid aliud faceret? oblivisci doloris non potest, quia nec jacturæ potest. Amisit Principem, verè Principem quarumcunq; tandē comparatione Virtutum. Quid enim in eo non eminuit? Stēma prætereo tot jam sęculis inclitum, & inter prima Europæ, atque omni præconio clarius; Etenim

Ipsa sui decus est BOIÆ *Domus alta vetustæ.*

Quid, inquam, in Duce Guilhelmo nō eminuit? Omnia eius in excelso fuere, vel hoc solo, quòd ipse descenderit; & quas habuit virtutes, nescierit esse, Jgnorantiâ cōmendabili, & omni scientiæ anteferendâ.

Albertus V. collabascentis per dissidium Religionis Germaniæ Columen, vbi fatis cessit, hæreditarium Bavaria clavum Guilhelmo natu è filijs maximo reliquit; quem ille summa prudentia annos septemdecim moderatus, Iustitiæ, Religionísq; cultui primam operam addixit. Et Religionis quidem immortale specimen dedit, vsque adeò, vt, si terram suam Catholicam non reperisset, gloriosâ sedulitate fecisset. Patris enim clarissimi Principis exemplo incitatus, præstantissimos,

mos, è varijs locis, viros accersiit, aut Ecclesias, aut Juventutem, Reip. seminarium, ad pristinas pietatis normas educturos & edocturos. Hinc, vt reliqua omittã, Collegium, Templúmq; Monachij Soc. IESV Patribus condidit, amplitudine, & splendore maximè visendũ, atque etiam invidendum, si incolas spectes; si conditorem, par maiestati eius, & magno Principe dignum; imò vel hoc nomine illustrissimum, quòd magnas exuvias possideat, & decori fuerit, annulum esse aureum, propter tam nobilem gemam.

Justitiâ verò, quam inviolatam coluit, id assecutus est, vt sumorum, infimorum amorem sibi conciliarit, nemóque fuerit, qui non diuturnum imperium optaret, præter imperantem. Sed is fatur potentiæ in terris non satis semper potentis, alto animo diviniora volvens, cùm maturam, parémq; regiminis moli cerneret indolem in Sobole, potestatẽ in MAXIMILIANVM hodie Imperij Septemvirum transtulit; vt, quod alij post mortem magnis, & anxiis votis desiderant, ipse videret vivus, suorúmq; magnitudine lætus, frueretur æternitate, antequam inchoaret.

Arbitratus est Vir Magnus satis esse designatam abs se regendi viam, quâ Filius laudatis vestigijs progredi posset, Patrémque, si vellet, vinceret. Quis verò jam reliquam vitam, pro dignitate, verbis adumbret? Eam in perpetuâ virtutum



exercitatione duxit tectam; & talem etiam post mortem voluit, ſubiturus cœlum, ſine arbitro mortali. Supremis enim tabulis vetuit quidquam aut pro concione de ſe dici, aut typis vulgari, raro apud mortales exemplo; & quo nihil laudum amiſerit, ſed virtutis gloriam auxerit, quamquam indignantibus Muſis; nam vbi Boicæ Thaliæ innotuit, obſtructas ſibi, duriore imperio, Tibias, quibus Næniam caneret laudibus plenam, juſto dolore percita in has querelas erupit.

Heu mihi quid patior? jam dudum lumina turgent,
Effreniſque amplum lachrima quærit iter.
Lachrima quærit iter; jam dudum lumina turgent,
Et cogor ſiccis verba vorare genis.
Non ſic indomiti certant erumpere rivi,
Cùm prægnans tumidis fluctuat Iſter aquis:
Non ſic è caveâ, notum cùm ſordida ſignum
Mappa dedit; properant, quà rapit ira, feræ.
Vt mea captivis arctantur lumina nimbis,
Dum cupiunt clauſis rumpere ſepta vijs.
Hanc tu nempe mihi facis, ô GVILIELME, *querelā,*
Qui non vis imbres largiùs ire meos.
Vdáque in apricum producere verba parantem,
Heu nimiùm durâ voce, ſilere jubes.
Nolo, inquis, ſtrepero turbes mea funera plectra,
Ipſe ſuam nolo tangat Apollo lyram.
Efferar exiguis, per opaca ſilentia, tædis,
Ducet pullatum Præfica nulla chorum.

Vocalis mediam non ibit Præco per urbem,
Non stabit mæsto flebilis urna foro.
Octophorum nostro removete à corpore; condi
Plebeiâ dudum gestio Sandapilâ.
Sparsio non fiat, nisi quam de ponte rogabit
Turba; nec in busto barbara gaza crepet.
Ulla nec è Rostris Orator verba tonabit,
Nec comet vitæ facta inamœna meæ.
Sed si fortè aliquid (nec enim prohibebo) loquendum;
Denique migrandum est omnibus: *ista satis.*
Ista satis? Superi! quid lectum tristius urbi?
Væ nobis! iterum sic GUILIELME *peris.*
Nonne satis fuerat semel expirâsse? dolori
Quid das materiam, bis moriendo, novam?
Usque adeò nihil est, vivo quod Marte fleamus?
Augeat ut tantum tanta ruina malum?
Signa volant, nova bella instant; bella horrida bella
Intentant patrys ultima quæq; focis.
Et tamen his major clades est cladibus ista,
Quâ mactas cives ô GUILIELME *tuos.*
Sunt oculi nobis, & te plorare negabis?
Sunt linguæ, & vocem promere crimen erit?
Sunt stilus, & cortex, sunt & Permesides undæ;
Sunt animi, & gratas non sinis esse Deas?
Ipsa ultro in numeros veniunt mihi verba, chelisque
Indignata suum rumpere gestit ebur.
Et color in chartam, invito pictore, recumbit,
Et (mirum!) vocem res venit ante suam.

Omnia me magnum cupiunt hîc esse Poëtam:
Qui non sum, fieri cur GVILIELME *vetas?*
Aurea te vivum Clementia semper amavit:
Mortuus imperio durior esse voles?
Et quæ non Siculos legimus fecisse Tyrannos,
Noster, & in Tumbâ, Dux GVILIELMVS *aget?*
O verè miseros! (dabit istud, credo, dolori,
Quem doleam, extremo quisquis ab orbe sciet.)
O iterum miseros tali sub Principe cives,
Quêis licitum est Dominum non sat amare suum.
Fleverat intonsis Elegëia mœsta capillis,
Seu tua Pelides, seu tua fata Paris.
Qui tamen à Boia tantùm virtute fuistis,
Quantum à Pelide femina fracta Paris.
Fleverat & Siculum Corydonis fistula Daphnin,
Fistula Mæonios docta referre modos.
Nos Patriæ in luctu non illætabile carmen,
Non dabimus tanto flumina digna rogo?
BOICA *quid dicet? Nihil, ingratissima Pallas,*
Iste nihil capiet, qui tibi tanta dedit?
Illa novenarum moles immensa Sororum,
Qualis Cecropia non fuit vrbe domus:
Illa stilo major, Tarpeiâ sanctior Aedes,
Qualis Palladia vix stetit antè manu:
Illa Patrum sedes, dignissima Principe Sedes,
Qualis non Boijs altera lucet agris:
Nil meruêre? aliquid meruêre, & Apolline dignum,
Nec tamen arrepta psallat Apollo lyra?

SVE-

SVEVIA quid dicet; cognata quid AVSTRIA dicet?
Perdidit hæc charum, charius ista caput.
Vtpote quem Socerum plorat non vilibus vndis,
Imperij portat qui diadema Gener.
Quanta in sceptriferos venit, post fata, Nepotes,
Quondam GVILHELMI ter generosa SOROR?
Ardua quot claris invecta est sidera bigis?
Virtutum totos traxerat illa choros.
Cæsarea sit Matre minor, non ille Sorore est,
Seu certare animo, seu pietate velit.
Straverit Argolicam, fortissima Cæsaris vxor,
Altera non dudum Penthesilea, feram:
Quid minus in terris Frater patravit avitis,
Semper ab antiqua qui pietate stetit?
Alberti soboles Albertum ingentibus ausis
Prætulit, æternus cui fuit iste labor,
Ne qua peregrinis labes manaret ab oris,
Latè quando suas sparserat Hydra faces.
Si parere haud major virtus, quàm parta tueri,
Fecit GVILHELMVS Sanguine digna suo.
Et Soror æternis eat in sublime quadrigis,
Nec sit, qui Fratri præstet ad astra rotam?
Scilicet ipse Phlegon, Pyrois, & Eous, & Aethon,
Solis equi currum non tibi, credo, negent.
Non GVILIELME neget cælestes Phœbus habenas,
Nato ægrè dederat quas Pater antè suo.
Et cecidit fateor, cecidit temerarius ille:
Securus famâ tu veherere tuâ.

Nimirum puer ille fuit, cæliq; viæq;
Inscius, & tantis non satis aptus equis.
Adde, quòd imprudens, nullo aurigante, volaret;
Hinc cadit incensi sab ula longa Padi.
Tu verò & factis jam dudum Magnus, & annis,
Ires Phœbea doctior ipse manu.
Ecquid enim parto frustrata superbia cœlo
Auferat? Hesperias cur verearis aquas?
Altior est, quàm quæ mergi tua gloria ponto
Possit, & à levibus rudera ferre Notis.
Nil habet in cœlum fastus: super æthera nunquam
Ebullit tumidi spumea gleba vitri.
Non quidquam à magno jam tuta modestia cantu,
Flente nec à calamo, quod vereatur, habet.
Si laudanda times docti mendacia Vatis,
Fingere nil cupio, me sine vera loqui.
Vera loqui prohibes? nomen venerabile Veri
Testor, & Astrææ si quid Olympus habet;
Vocem hanc & Satyræ, & Momorum dentibus aptam:
Non fas GVILHELMO *Principe, vera loqui.*
Immo loqui nec posco quidem: quid vilius orem?
Elingues liceat fundere amoris aquas.
Cui querar infelix? mea qui suspiria venti
Portabunt, fessus quo rubet orbe Tagus?
An natura tibi? certè plorare Parentem
Nulla vetat Mater, sola Noverca vetat.
Si Patrem Patriæ te Dux GVILIELME *saluto,*
Non erro: & pluvias non dabo marmor aquas?

Si paupertinæ baculum te nomino turbæ,
Non erro: & pluvias non dabo marmor aquas?
Si clarum Boij sidus te dico Leonis,
Non erro: & pluvias non dabo marmor aquas?
Si trabeatorum genitorem appello Nepotum,
Non erro: & pluvias non dabo marmor aquas?
Si fidei columen, si spem pronuncio Cleri,
Non erro: & pluvias non dabo marmor aquas?
Collapsa hæc vno, bustum sunt omnia, casu,
Et mihi non dabitur vel mea damna queri?
Aeacidæ telo cecidit Priameius Hector,
Raptus ab Hæmonijs nobile Funus equis:
Quis vetuit lachrimas? quæ lex crudelior hoste,
Noluit Ausonias carmina flere Deas?
Ipsa quoq; in medijs tremerent cùm Pergama flammis,
Trósq; Anchisiades naufraga vela daret,
Nemo stitit Phrygiæ currentia flumina ripæ,
Nemo locum tacuit, quondam vbi Troia fuit.
Hectora perdidimus, Troia quid charius, vna
Abstulit heu tristi tristior hora die:
Et non transcensis latè fluat Isara ripis,
Inq; herba tacito Najades ore cubent?
Magna quidem ô Princeps tam magni gloria voti est,
Qui cupias cineri nil superesse tuo:
De Boijs autem quid dicent sæcula chartis,
Quæ muta in tanta clade tacere queant?
Aut certè ingratas clamabunt omnia Musas;
Aut ex Pierio fonte bibisse parum.

Illi homines sileant, suam habent & marmora vocem,
Audéntq; in grandi crimine saxa loqui.
Qui stant Aligerûm claro sub nomine muri,
Aegrè olim Phœbo, non mala verba dabunt.
Si non ergo tibi, vel nobis consule Princeps;
Fama tua in tuto est; scommata, nostra timet.
Fac tamen exemplo veterum, Leo Boice, regum
Si potes, & damna, qui tua facta canunt.
Quis post fata aliquem sibi non vult stare colossum?
Quis non æterno vivere sub lapide?
Quid turres Phariæ? Muri Babylonis? & alti
In terris faciunt quid simulacra Iovis?
Quæ non Pyramidum vidit miracula Memphis?
Aegyptus celso sæpe minata polo est.
Túne humili solus Princeps testudine clausus,
Tempore non longo vile cadaver eris?
Quem Cleopis deceat, Rhodij quem machina Solis,
Quem Mausolæi dives arena luti.
Quem plangant meritò non solæ in Phocide Musæ,
Plangere sed fidium quidquid vbiq; potest.
Quique altis cantu substruxit mœnia Thebis,
Quiq; habuit dociles ad sua plectra feras:
Quiq; inter pandos cecinit Delphinas Arion,
Quiq; vnquam Laurum jure Poëta tulit.
Deniq; quicquid habent montésq;, amnésque Dearum,
Quæque inter valles Nympha jocosa sedet.
Omnes vnanimi GVILIELMO voce parentent,
Si mea vox aliquid, si mea vota valent.

Et spero, (quamquam nolis GVILIELME) *valebunt:*
Téq; ego si taceam, mortuus ipse canes.
Nam pereat corpus, pereat quod clausimus arcâ:
Tantum animum nullo conficit igne rogus.
Thessalus insido Pelias impositus aheno,
Vivit stultitiæ post sua fata suæ:
Nec magis Oeteus claro illustratus ab igne est,
Cùm daret arsuram Deianira Togam.
At tu magnanimi proles generosa Leonis,
Vixisti, & vives clarius igne jubar.
Præsertim in dulces cùm virtus ista Nepotes,
Iam dudum Herculei jussa migrârit Avi.
O quantum patrio tralucent omnia Sole!
Vt cupias, totus non potes ergo mori.
Nam licet æternis mandes tua, téq; tenebris,
Et nihil à doctâ posteritate petas.
Nolisq; audaces quicquam garrire Poetas,
Quo fieri major Principis umbra queat:
Frustra es: nam quidquid de te celare laboras,
Cernimus in Natis Dux GVILIELME *tuis.*

Hæc flebili voce Thalia Boica, nequaquam satura planctus, nisi Phœbo permissum esset, tenui sumptu, excitare Mausoleum, ea lege, ne censum, & Modestiam superaret opus. Pareatur igitur optimæ voluntati, & nihil eximij de eo dicatur, sed eximiè sentiatur. Quia enim ipse res suas celari præcepit, & laudari noluit, posse se advertit, meruítq;, vt nihil volendo, obtineret omnia, plus

plus planè consecutus silentio, quàm si panegyristam Demosthenem talento emisset.

Quando ergo omnia caduca, quæ specie fallunt suâ, pro nihilo habuit, deteriora etiam post mortem elegit; & fauit Fortuna; nactus est enim ignobiliores de Parnaßo Poëtas quatuor, vt nemo reprehendere eorũ versus posset, quia moriens nihil nobile voluit: quorum vt sunt diversa ingenia, ita dictio quoque; proinde vnam vbique ne quæras, cùm nec tu semper vnus sis; affectu pro tempore diversus, etsi semper bonus. Eris certè, hoc tecum si repetes;

Heu jacet in parva Boiæ Dux maximus Vrna!
Nec mihi concedent Numina stare diu.

ARCHITECTVRA MAVSOLEI.

AGE, si placet, MAVSOLEVM GVILIELMI specta, quando ipsum ampliùs non licet. Opus Apollinis vides, non Artemisiæ: immo & Artemisiæ, si Apollini credis. Neque enim longissimè, censeo, abludit novum hoc MAVSOLEVM ab illo veteri; nisi quòd meliorem PRINCIPEM tegit: vtrobique miraculum est; ibi in mole, sumptu, Artifice; hîc in ipsa tumulati voluntate; qui noluit Monumentum altiùs exurgere, quàm cinerem. Ea confidentiâ, quatuor Apollo è Parnasso

masso evocavit Architectos, pro numero eorum, qui Cariæ Reginæ laborârunt: quiq; tantum promitterent, quantum modestissimus PRINCEPS postulâsset: Cinerem honestè tegere, non astra magnitudine operis vel attingere, vel æquare.

Quatuor igitur in partes opus vniversum tribuitur: Tumbam, Columnas, Arbores, Pyramides. Nam quòd alius in Quadrigâ, alius in Dianæ statuâ, alius in alio miraculo ingeniosus esse voluerit, quid ad illos, qui officium faciunt, non miraculum? Tumba ipsum Boiariæ Thesaurum, hoc est, nobiles GVILIELMI exuvias condit. Columnæ duplici funguntur officio; & Tectum, quod in Pyramidem se acuit, sustentant, & Monochromatis, seu Anaglyphis sedes, & quasi membranæ sunt; in quibus exornandis cùm artificio; & ingenio majestatẽ, immensitatémq; Virtutum GVILIELMI assequi se posse desperaret cælator, tectorium vt vides, superinduxit: ne hac saltem in parte deesset, quod quoquo modo cum veteri MAVSOLEO conspiraret. Arbores nihil ferale præ se ferunt; ita Apollo voluit: suntq; itaq; recenti virore, amœno aspectu, feraci genio: speramus enim, ibi jam esse tantorum facinorum Heroem, vbi Lauro magis, quàm Cupresso sit locus; Pyramides deniq; quatuor Architecturæ latera stipant; in quibus vario Emblemate Poëtæ, & Pictores, (accisa hic *quidlibet audendi*

dendi licentiâ) elaborarunt. Quaquaverſum igitur accedas, oculos tolle, videbis, & leges.

In adverſo poſte.

OMNIVM INTROITVS.

In averſo.

SERVS EXITVS.

Ad dextrum latus.

INEVITABILIS HOSPES.

Ad ſiniſtrum.

VLTIMVM CONTVBERNIVM.

Eſt & in Tecto, quod ſpectes, quod ſperes. Sedent Angeli per gradus, & faſtigio imminent in novem tributi ordines, cũ Inſignibus ſuis, & gnomis: vt verſa pagina docebit, non monſtrabit: quia alia eſt picturæ, & ſculpturæ ſpecies, alia litterarum, quæ oculos non implent, nec mentem, niſi tu facias.

CHRI-

CHRISTVS

Vexillum, & Coronam oſtentans, cum hac epigraphe;

HÆC DEMVM LEGITIMA CORONA EST.

Via Innocentum ad Chriſtum.

Angeli geſtant.			Angeli explicant.
9.	Cor ardens.	9. Charitas.	9. Ardens anhelo.
8.	Anchoram.	8. Spes.	8. Clementiâ ſuſtentor.
7.	Violam.	7. Humilitas.	7. Deſcendendo aſcendo.
6.	Panẽ cuneatũ.	6. Miſericordia.	6. Quia do, accipio.
5.	Lilium.	5. Caſtimonia.	5. Cum Angelis pergo.
4.	Columbam	4. Simplicitas.	4. An gravis ſit via, neſcio.
3.	Roſarium.	3. Pietas.	3. Suſpiria trahunt.
2.	Crucem.	2. Fides.	2. Aſſentiendo ſcando.
1.	Aſpergillum.	1. Baptiſmus.	1. De rore vivo.

Via Pœnitentum ad Chriſtum.

Angeli geſtant.		Angeli explicant.
9. Columnam.	9. Conſtantia.	9. Rurſus deſcẽdere nõ libe
8. Gallum.	8. Vigilantia.	8. Hoſtem exploro.
7. Agnellum.	7. Patientia.	7. Patior, quia feci.
6. Calicẽ inverſũ.	6. Abſtinentia.	6. Quia abundavi, egeo.
5. Libram.	5. Iuſtitia.	5. Quantũ mali, tantũ boni
4. Iugum.	4. Obedientia.	4. Monentem ſequor.
3. Flagellum.	3. Dolor peccati.	3. Me ipſe vindico.
2. Enſem Flãmeũ.	2. Timor gehennæ	2. Horreo, & propero.
1. Calvam.	1. Meditat. Mortis.	1. Cogito, & pedes paro.

Novem gradus. Novem grabus.

Angelis

His acclamantibus. His ſuccollantibus.

Aram Moles tota ſpectat; quia ad hanc vivens tam frequenter ſupplicabundus acceſſit, ut ea & mortuum ad ſe raperet; niſi ipſe moris ſui retinens, altè defodi, & in Hypogæo humari voluiſſet Baſilicæ & Suæ, & SOCIETATIS IESV: quæ utique maius opus molita eſſet, ſi PRINCIPI ſuo inobſequens eſſe potuiſſet. Certè cùm Guilielmi funus tam illuſtre reddere optaret, quàm illius Vita fuit, geſtirétq; tot in Mauſoleo faces accendere, quot, Occaſo ſole, in cœlo ardent ſidera, quando verè & ipſi ſuus Sol occidit, etiam huic voto voluntas Principis interceſſit; quam, quia pio amori violentas inijcere manus viſa eſt, Poëta inamœnis Elegis clauſit, ut facilè appareat, Indignationem verſus feciſſe.

Noctem amo; Nolo diem: Votivas, prodiga, noſtris,
Boica cur tenebras *invidet Exequiis?*
Aemula ſideribus noſtræ Pharus incubat Vrna,
Et facit inviſam, flammea tota, diem.
Quò mihi mille Faces? quando ipſam Lampada vitæ,
Invitâ geſſit noſtra ſenecta manu;
Et tandem ridens poſuit; nam cætera pridem,
Quæ nituere, mihi, mergere, cura fuit.
Involvi pullâ titulos, & luce ſepulta
Nominis, extra oculos, invidiámque fui.
Abſcondi, rude donari, mihi vivere, mecum
Poſſe habitare, *animi vota fuere mei.*

Grande

Grande Theatrum habui, Cœlo contentus; abunde est,
Hic si plausibilis Fabula nostra fuit.
Aut recto saltem stetit Vltima clausula *talo;*
Plena est solliciti meta suprema Metus.
Hic errare semel tantùm licet; alea iacta est,
Atque fugit tremulas, non reditura, manus.
Aeterna ex illo fertur sententia casu,
Siue salit dexter senio, siue canis.
Me miserum! quamvis niveo iam vellere frontem
Sparsus, ad hanc artem Tiro futurus eram.
Vivere (nec tanti est) vivendo discimus: ille
Ludus vbi est, doceat qui moriendò mori?
Grande Magisterium momento absolvitur vno,
Singultus Vitæ tota Coronis erit.
Heu mihi! tam subitò nec Filum abrumpit Arachne,
Floráque tam propero non metit vngue rosam.
Hoc ego negligerem breve, & irrevocabile Punctum;
Cui vel mille annos advigilare parum est.
Non agerem excubias? ah formidabilis hora est
Vltima, quantumvis præmeditata venit.
Quæret in hac animos frustra Gladiator arenâ,
Exanimare huius, non animare, loci est.
Nec iuvat auxilium spreti inclamare Lanistæ,
Cùm ferrum in iugulo iam trepidante micat.
Turpe rudimentum est, cùm decretoria Pugna
Postulat Heroes, & negat esse iocum.
Nunc fatalis opus præludia discere belli,
Ista Palæstra virum non facit, Vmbra facit.

Quæ captata mihi tanto ambitiosius vmbra est,
Quo visa est studijs aptior esse meis.
Hic didici tacitè venienti occurrere Fato,
Parcarum assuevi ferre supercilium.
Ad Larvam Mortis, licet æmula Gorgonis esset,
Spectator vultu non fugiente steti:
Calva vicem speculi subijt, quæ dentibus albis
Rideret nostras docta Magistra Apinas.
Hic me sandapilæ modulo dum metior, vlnas
Tres reperi magni Principis esse locum.
Hic genus, & proavos, & longi stemmatis agmen
Parva sub aspectum pulveris Vrna dedit.
Quæ manibus librata mihi cantabat in aurem,
Quot cineris Pondo cras moriture dabis?
Sic animi Bullæ, sic detumuere tumultus;
Cristatum pulvis non sinit ire caput.
Sic nati gemitus, castigatóque palato,
Vita omnis visa est nautea, dulce Mori.
Dulce Mori in tenebris; nam Christi ignobilis vmbrâ
Cur vellem fato lucidiore mori?
Optata Eclipsis, si me subduceret orbi,
Contentúmque oculis cogeret esse suis.
Interim ad occasum, pariter cum sole, cucurri,
Ceu fugeret numquam mî reditura dies.
Sic me composui, quasi Conclamatus, in Vrnam,
Vespillo solitus funeris esse mei.
Et siticen meus ipse fui, Lessúmque paravi,
Hic, dixi, Emeriti Principis Vmbra iacet.

Sic

Sic tandem assueto, in tenebris, præludere Morti,
Ipsa etiam visa est vltima lucta iocus.
Vixi; vel quod idem est, Vici; tamen absq; tumultu;
Terra vale, & si vis plaudere, plaude silens.
Non vacat Inferijs oculos impendere; parces,
Nulla placet viso si mihi pompa Deo.
Altior orbe animus sedem inter sidera fixit;
Credisne hîc nobis posse deesse diem?
Nec face, nec Lacrymis opus est; sed Lacryma sisti
Si nequeat, Lacrymis Boica merge Faces.

Superi meliora! tu quoque mitiora Clementissime Princeps; Enimvero hoc est tui amantibus Aquâ, & Igni interdicere, nimis duro imperio, & quale vivens non exercuisti. Noli, quæso te, cùm hominem exueris, inter Divos receptus, etiam Humanitatem abiecisse videri. Quidquid Honori tuo Ardet, Incendium Amoris; quidquid Flüit, Imber est Pietatis: patere duabus tibi Virtutibus parentari, &, quando tuas in spectaculum emitti prohibes, his Scenam indulge, vix ad tot etiam Faces agnoscendis: Tu certè agnovisse visus non es, cùm illas tam gravi edicto proscriberes, quod utique non dictatur in Virtutes: neque nos eas aliter venditamus, quàm ut mutilas, & cum aliqua tüa iniuria coniunctas; quando neque vivum te colere, pro merito, quisquam potuit, neque deflere defunctum, non modò animis, sed etiam oculis in suo munere desperantibus,

bus, ut ne lacrymarum quidem, quibus nihil vilius est, satis sit confluxurum. Admittes tamen, post repudiata Balsama, hunc Humanitatis Nimbum, quem tua Mors citavit: tam Sereni enim Sideris occasus nunquã sine pluvia contingit; neque possunt cum cœlo conspirare oculi, qui totidem causas flendi habent, Te amisso, quot gaudia nata cœlo sunt, Te recepto. Agimus ergo negotium nostrum, quod tu quidem iam dedidicisti; à cuius Oculis omnem lacrymam absterfit Serenissima Dei manus: nobis Luctus, & Dolor nisi hac turbidâ eluvione effluere non potest; quâ tamen tua Hilaria non obfuscabimus, tam secura tristitiæ, vt etiam nostras clades spectare, non nisi ridente oculo, possis; quem proinde etiam Mausoleo tuo impendes; cui exornando etsi ingens argumentum Statuarijs, Pictoribus, atque Poëtis suffecturum suppeditare tuæ Virtutes potuissent, quia tamen abnuis, parcimus illas mala manu contaminare: sequetur olim melior, quæ illas supra septem orbis Miracula evehat, inter quæ vetus olim Mausoleum stetit: neq; enim impetrabis, ut talem Principem Posteritas non adoret; cui si cætera Virtutum tuarum Documenta subtrahas, Modestiam tamen non potes; quæ quantumvis omnia animi tui ornamenta incrustare laboret, defluet tamen olim operosa albatio, & totum te orbi ostendet, velut Solem à nube, &

Eclipsi

Eclipsi pulchriorem. Nos interim hoc ipsum Tectorium, quod candor Modestiæ tuæ, gypsatâ Manu, abscondendis Virtutibus induxit, humiliore etiam stilo, quàm illius penicillum fuit, explicabimus, aut veriùs, Vmbras tuas tenebris involuemus; neque enim clarius nomen merentur quaterna nostra privis adumbrata coloribus, & verè Monochromatea, quæ Mausolei latera vestiunt tegúntq; , Emblemata: nisi eò pretiosa existimabimus, quia Thecæ sunt, & opercula ingentium opum, quæ oblini, involuíque tam studiosè non potuere, vt non passim eminerent, traluceréntq; : & vbi aliud vestigium non reliquêre, ex Ambrosio odore, quem Bona Mens, etiam in sepulchro, spirat, agnoscerentur.

PICTVRA MAVSOLEI, QVA ORIENTEM SPECTAT.

LECTISTERNIVM FESSO.

IGitur etsi illustre Emblema PRVDENTIÆ Tuæ, quod in prima Mausolei fronte spectari debuit, nobis subduxisti; Epitomen tamen magnarum cogitationum, quibus Divina complexus es, Humana etiam transcendisti, in una sententiola nobis reliquisti, quæ Patientissimi Mortalium Iobi olim fuit; cuius te non puduit, etsi in simeto dictata est, parum acceptâ delicatulis scholâ;

Scholâ: Indè haustam vsu tuam fecisti, & patieris etiam alijs in Exemplum proponi: ea est huiusmodi *Iob* 17.

IN TENEBRIS STRAVI LECTVLVM MEVM.

ILlum ipsum scilicet, in quo nunc cubas; nam verecundiæ tibi non fuit, Lectisterniatorem tuum esse, & ponere etiam hoc inter Principum curas; meliore vtique iudicio, quàm quo Augustus obærati Equitis Romani culcitram, de Auctionali Hasta emit, conciliatriculam somni, vt cui ille, cum animam deberet, tam suaviter indormierit. Tu cùm Noctem unam omnibus dormiendam scires, fortasse aliquot seculorum; in illius tam longi somni apparatum, Superi! quot Vigilias impendisti! abiecto etiam, ut hoc unum ageres, Imperio; nam vel brevissimas noctes nimis longas imperantibus expertus, didicisti, Quieti cum Purpura nunquam rectè convenire, & somnum, fatali odio, omnia coronata Capita fugere: Igitur Pullatus in tenebras, & ipsam Tranquillitatis regiam concessisti, nihil offensus osseo Mortuorum satellitio, qui veri, unicíque Dormientes sunt; cum ipso Iobo solitus dicere *Putredini, Pater meus es; Mater mea, & soror mea, Vermibus*; & quod omnis miretur ætas, penè vltimum

imperium

imperium tuum fuit, locata, paucis, ante fatalem ſomnum, diebus, Artifici Mortualis Calva, novâ architecturâ, non ſine Anguium, Lacertarúmq; ſpiris, omnibus, præter te unum horrori futura, ut qui inter hæc ſpectacula conſenuiſſes. Auſus proinde Pictor eſt, tibi Calvarum ſtruem ſubſternere, & quaſi nunquam ſuaviùs dormiviſſes, adijcere de ſuo

SINE CVRA.


Poëta etiam audacior verſus addidit

Calvarum recubas porrectus in aggere Princeps,
Heu non ex merito contumulate tuo!
Mors torulum ſtravit plumarum oblita; fatentur
Te tamen in pluma plus vigilaſſe tua.
Nimirum nullo curas fas ponere lecto eſt,
Sub viridi niſi quem ceſpite Parca ſtruit.

Id à cordatis viris magno aſſenſu acceptum Sybaritæ aſpernati ſunt, quos etiam in pluma, & Mileſiâ Roſâ vigiliæ torquent; quibus non modò hæc oſſea ſponda, ſed ne Alexandri quidem culcitra allubeſceret, de cuius mollitie ſubiectus Pugio, & Homeri Ilias aliquid imminuiſſent. Affixit proinde mortuali antro Pictor Avium nidum plumâ fartum, cum hac Epigraphe

SATIS PLVMARVM.

Quod delicatulis datum videri poterat, niſi Poëta monuiſſet, etiam hoc è Iobi domo petitum, cuius illa vox fuit *In nidulo meo moriar*, Avium Fato,



B quæ

quæ suis plumis incumbunt, si aliud desit toral ostenditque te, Magne Princeps, etiam in saxo molliter cubare tuis Virtutibus involutum.

Sternit Avis modico Plumarum stragula Nido?
Marmoreo recubes tu GVILIELME *toro?*
Sed tua mollivit pridem omnia marmora Virtus;
Hinc vbicunque cubent, molliter ossa cubant.
Nam qui Regna, & opes Plumâ leviora putâsti,
Nunquam de Tumuli mole querere tui.

Adhærentem cubili tuo etiam hortulum notavimus, in quo tamen, præter Papaveris areolam, nihil vernæ elegantiæ fuit. Sed nec illa à clade immunis, qualescunque opes tuebatur; nam Princeps mediam inambulans, summa, ut quæque extabant, capita Scipione detruncabat, qui Tarquinius credi poterat, si in Superbi illius moribus aliquid simile Modestiæ tuæ fuisset: At enim ille, in hortensi strage, sanguinarium consilium in civium capita coquebat; tibi inter Mortuorum Calvas accubanti alia mens, neque in alios petitum papaver usus, quàm ut esset, quod Lemma præferebat.

ILLECEBRA SOMNI.

& Poëta velut ex tuo ore, mente certè, ita explicuit.

Quisquis amas faciles moriturus carpere somnos,
Somniferum è nostra Messe papaver ede:

Quale

Quale per Areolas orbis Mors falce recidit,
Quale vel in calva sit reperire tua;
Dormit, non moritur, qui sese hac falce secandum,
Atq; Papavereum cogitat esse caput.

At enim ô Modestissime Princeps, quocumque te nomine traducas, oracula loqueris: Sub facie, & gladio vivimus, qui non, ut Damocli, sub uno tantùm convivio, impendet, casurus, quandocunque Filum Deus nutu abrumpet: Felix, qui illum serena fronte excipit, nec cervicem inflectit, seras inducias petiturus: Qualem te vidimus, GVILIELME, qui Serenissimi nomen neque in funere perdidisti, vltimum, maximúmq; mortalium votorum nactus, Εὐθανασίαν: Proinde neq; nunc aliter te, quàm dormientem aspicimus, & placida quiete compositum Eóque nomine, Sphærulam auream Pictor tibi in manus inseruit, quasi ea suo, in subiectam peluim, casu, abruptura somnos esset; quod Aristoteli primùm excogitatum legerat, re fortasse non falsus, sed Sphærulæ nomen dare non potuit. Nos illam pòst *Pilam Mundi* esse intelleximus: quam nunquam vivus tanti putasti, ut vel illâ luderes: sed generoso contemptu proiectam, calcatámq;, ideo, passus es dormienti in manum dari, ut EXCITATOR tibi non deesset; quem enim vigilantem nullus quantumvis lævus Pilæ huius casus percellere potuit, nunc etiam iacens, non antè, quàm ad

magni Judicis adventum fractus illabatur orbis, inter ruinas publicas assurges. Sed malumus id ex tuo ore audire.

Olim Fortunæ solitum ridere Tumultus,
Nunc, quia clausi oculos, fors trepidare putas.
Fallere: mens eadem est; nisi quòd spectacula Mundi
Sunt indigna oculis denique visa meis.
Quique vigil, cælo, terráque tremente, stetissem,
Nunc non antè, Orbis quàm ruat, Evigilo.

In quem ipsum decretorium diem, sepulta latere tecum reliqua omnia sapienter dicta, factáque voluisti; meliorem ibi præconem habiturus, Deum; & maius Theatrum, in quo & nos inter plaudentes erimus.

PICTVRA MAVSOLEI, QVA OCCIDENTEM SPECTAT.

LIBRATA VIRTVS.

QVod Astræa Iustitiæ Præses in Cælū subuolans fecit, cùm vestigia rara mortalibus relinqueret, Librâ inter sidera suspensâ, id scilicet imitatus es Iustissime Princeps, in tuo ad Divos itinere: Virtutes tuas nobis invidisti (ignosce duriori Verbo; mitius non reperit dolor) ne simplici malo defungeremur, Te amisso. Nam alioqui vel Iustitia tua quantum cælando Tumulo argumentum dedisset! quot manus fatigasset! nunc

præter

præter Libram pictori nihil permissum est, eámq; solâ Modestiâ tuâ gravem; id enim gnome tua loquitur, quam itidem ex Iobo es mutuatus *c. 31.*

APPENDAT ME IN STATERA IVSTA, ET SCIAT SIMPLICITATEM MEAM.

HAnc unam nominare tuus tibi Pudor permisit, minimè obnoxiam Invidiæ; quæ vulgò virtutis nomen ægrè tuetur, quámque pauci sine verecundia profitentur, ut indotatam, & dubiæ Famæ. At tu quasi hac una niterêre, neque numum præterea unum in ærarium Dei intulisses, plebeiâ Virtute, inter capite censos lustrari postulas, & præfers notas trepidantis, *ne minus habens inveniâre*. Pone, per Deum immortalem, Modestiæ tuæ modum, neque in ruborem, desperationémq; genus humanum conijce; sit sanè illa familiaris vox tua, in illo Cœli foro, SINCERISSIMVM EXAMEN esse; vocetur tribunal Dei omnium Reorum Scopulus; tibi metuere non licet. Obnoxium Cœlum habes, & ille ipse Cœli Princeps MICHAEL, quem orbis terrarum Libripendem vocamus, quot nominibus est tuus? certè post Cœlum, Augustius Palatium non habet, quàm quod tute illi struxisti, eâ Magnifi-

centiâ, ut ex illo tempore Boiaria tua Romæ desierit invidere; ut hîc saltem Poëta Poëticè locutus non sit,

Aliger ad Libram mores expendere jussus,
Et dotes animi Dux GVILIELME *tui.*
Obrutus est numero Virtutum, & mole tuarum,
Et sudans manibus vix Sua Templa *tulit.*
Et nisi donasset tibi se, pro Pignore, Numen,
Dignas te Cœlum non habuisset opes.

Felicem te, cui Deus *Merces magna nimis*! ita enim, credo, etiamnum dices, & senties, Beatitatis torrente ebrius, qui cùm orbem Terrarum monimentis Pietatis tuæ implesses, eripi tamen illam querelam, nullâ tibi Suadâ passus es, *Nihil dignum te Cœlo egisse*; quam ego unam vocem in Dei expensam Lance, dignam Aeternitate iudicatam, nefas existimo dubitare. Ingens pondus oportet inesse animo, qui, cùm pennas omnium Virtutum habebat, repere tamen malit, quàm volare; & cælum tantùm suspirio contingat, cùm capite possit; neque ingentibus factis aliud præconium concedat, quàm unum singultum, NIHIL FECI. Cur non ergo, quando tua omnia, rigidissimus Arbiter, tam tristi censura elevas, provocet ad Dei lances Poëta, expendátq; tui PONDVS NIHILI ad famosam D. Henrici Patellam, qui tecum eundem olim PII titulum tulit, & Boiariam tuo ingenio rexit?

Votivâ

Votivâ Henricus Cœlum meruisse Patellâ
Dicitur, & libram conciliasse Scypho.
Tu, cùm auri Montes Cœlo GVILIEME *sacrasses,*
Conquestus tamen es, te meruisse NIHIL
O dignam Cœlo vocem! jam credo, probasti,
Immensum NIHILO *pondus inesse tuo.*

Sed nimirum & illud NIHIL est, quod in pauperum greges effudisti, quorum integros exercitus non stipe, sed statis stipendiis, aluisti; per hos tibi auctoratos Olympum expugnaturus, quanto meliore, quàm Gigantes, ausu! Enimvero si vel adamantinum Cælum esset, perrupissent tot Armatæ preces; induxissent te eò triumphantem, vel humeris connixi, quibus tu vires dederas; & quos iam suum senium inclinavit, traxissent te quadrupedes, aureo curru, nullos flexus, nec ambages detrectaturi, ut diuturnius esset officium suum, & pabulum: flent enim hodiéq; nimium valuisse vota sua, & maluissent difficiles superos, & reluctantes, ne bonam causam tam citò perorarent. At enim Libra Iustitiæ, quam Petri Publicani sportula, in paupe[illegible]n, cum stomacho effusa, depressit, succubuit tandem, horreis tuæ beneficentiæ prægravata, quæ profectò, ut Poëta picturæ adscripsit, fuit

SINE MENSVRA.

Particulam ingentis, manus olim parca, canistri,
Iecit in exosum, non sine bile, Codrum.

Illa tamen Cœli depreßit ſportula lancem,
Atque reum abſolvit Buccea ſicca Petrum.
Quid tot aperta fami facient Ducis Horrea? Eritne
Libra, ad penſandas, huic ſatis vna, ſtipes?
Pondus quidem unicum fuit, ad quod expendi potuiſti, Deus. Cætera tuæ Magnitudini impa- ria, eóque à vivente etiam repudiata; nunquam te cum Fortunæ, neque ipſâ adeò orbis Pilâ paſ- ſus es componi: ſupra Mortalia Bona fuit, cui hoc ſuſpirium tam crebrò olim mitteres, *Amor meus, Pondus meum!* Melleum Pondus, quod te rectâ Vitæ Lineâ duxit ad tuum Centrum, in quo nunc cubas, pauculis laborioſi ævi annis qualem æternitatem nactus; & quod inter homines ver- ſanti nunquam contigit, à Deo, in certamine Liberalitatis, victus, & tamen Coronatus. Fa- vemus tibi, ô Magne Princeps, & quia librari cæ- tera tua non ſuſtines, incipimus, ex voto tuo, nos ipſos, ad Libram, expendere: Ad cuius ad- ſpectum, ſi tu olim trepidaſti, præſidentem eſſe oportet, qui ſuo Principe vult eſſe fortior, & He- röe pavido, Pumilus ridet. Poſſumus Brenni Li- bellam veteribus Boijs remittere; diſcant illo Du- ce vincere, nos GVILIELMI exemplo Vivere, & Mori, pulcherrimas artes: Melius eſt ſeipſum, quàm Romam, in trutina ſuſpendere, quæ etiam Poëtæ mens inuitantis

AD HANC LIBELLAM.

Et Brennum, & veterum jactet gens Boica Libram,
Ad quam capta auro Roma redempta fuit.
Tu seros, Princeps, docuisti, Dive Nepotes,
Ad quam LIBELLAM *Vita probanda foret.*
VÆ VICTIS, *illic auditum est; tristius olim*
Damnatis, LIBRA *Iudice, carmen erit.*

PICTVRA MAVSOLEI QVA MERIDIEM SPECTAT.

TORVS LEONINVS.

SAcrum Fortitudini latus LEO implet, sed dormiens; novum Modestiæ tuæ Argumentum, Fortissime Princeps, omnes Virtutes inumbrãtis: Cogis Leonem nos non ex Vngue, aut Voce, sed ex Somno agnoscere, ratus hîc saltem nihil fore, quod tradi Famæ posset, & maiorem te redderet, quàm velles. Vix lemma hoc Toro adscribi passus es

REQVIESCENS ACCVBVISTI VT LEO, QVIS SVSCITABIT EVM? *Genes. 49.*

Quando illud memineras ad *Leonem de tribu Iuda* pertinere, cuius tu pedibus non modò iubam sponte substerneres, quod Patri suo Catuli solent,

ſed inſuper ſtipare latus perpetuus ſatelles ambi- res, habiturus pro magno, ſi te placidus aſpiceret, & ſubinde nitidioris oculi radio verberaret; *Nôrunt enim, cui ſerviant Leones.* At enim ille mutuum fecit, & vt certè fortior eſt, ſuperavit te in luctaamoris. Invaſit pectus tuum, & totas hauſit Victor medullas; atq; ut ſemel, quod optas, audias, duxit te captivum Vinculis violentiamoris, & quod fortaſſe tibi rubórem augebit, ex Leone Agnus factus eſt, vt clarior illius eſſet Victoria, ſi vinctum Leonem traheret: proinde etiam nunc prædæ ſuæ advigilat, neque à dormientis latere diſcedit; olim, cùm viſum fuerit, pervellet tibi auriculam, & in publico triumpho oſtentabit te orbi terrarum, magnum potentiæ ſuæ ſpectaculum: Enimvero Poëta, cùm tibi ipſas catenas tuas melli eſſe ſciret, etiam Equeſtre aurum, quod de collo vivus tuliſti, iniectum tibi ab hoc Agno dixit, eóque nomine, Imaginem illius auream, vellere item aureo, impendiſſe pectori tuo, quo ipſo in loco Amoris tam luculentam plagam accepiſti; proinde cum captivum Leonem in Boicis Rhombis pictor porrexiſſet, inter colores, quos cum ſereno cœlo communes habent Boici Leones, id denique ſcripſit eſſe

AD RHOMBVM.

In Gentilicÿs dormis, Leo Boice, Rhombis,
Torquatúsq;, Agno, nil, vigilante, times.

Nuni-

Nimirum hic tuus est Aurati Velleris Agnus,
Ille tuæ quondam tessera Militiæ.
Nunc somnum indulget fesso, dum jusserit olim,
Ad notæ sonitum te vigilare Tubæ.

Nam ad Pauperum comploratione, mæstósque ululatus, quos Toro tuo circumfusi edunt, nunc quidem evigilare non licet: Olim tibi horum etiam gemitus, & ieiuna suspiria abruperunt somnos; adeò inclamare opem tuam necesse nō fuit, spontè egentium commodis advigilantem, & in his pietatis excubijs indefessam. Hi ergo, quibus, putas, oculis, aut votis torum tuum frequentant? in quo illa manus cubat, quam tum maximè Serenissimam vocârunt, cùm plueret aureo imbre; Fortissimam, cùm Domestica monstra sua, Famem, Nuditatem, Orbitatem, Morbos, Indigentiam, quæq; alia incommoda, totâ miseris mole, incumbunt, prosterneret, fugarétque: Proinde ille verè Leoninus versus, Romæ primùm in humanum Leonem, cum sparsione florum, iactatus, qui Androclum unum hominem servaverat, unâ hodie litera auctior, à totis Rogatorum gregibus tua ope servatis, in te, Beneficentissime Leo, repetitur.

HIC EST LEO HOSPES HOMINIS,
HIC EST HOMO MENDICVS
LEONIS:

Et propè vicerant, vt illius Romani Imago cum

tuâ

tuâ coniungeretur: maluit tamen Pictor Samsoni, cum substituere, non reluctantibus Codris, quando ita etiam altera illis nata Nænia est, quam Samson problematis loco proposuit, quod mendicabulis illis promptiùs expedire nemo potuit, neque in aliena vitula arantibus, neque tot dierum inducias in obuiæ quæstionis indaginem postulaturis: Nemo illorum tam Jnfans est, qui non exclamaret, *Quid dulcius melle? quid fortius* BOICO *Leone?* Iam igitur non obscuram Leoni Epigraphen adscripsit Poëta

DE FORTI DVLCEDO.

Mella Leonino, quæ Samson repperit ore,
Illic florilegæ deposuistis Aves.
Sed nostri favus est nativus in ore Leonis;
Hujus enim semper mellea Lingua fuit.
Et patulum hic Samsonis erit problema; fatentur
Codri, exisse suum de Comedente Cibum.

Quas voces etsi fortasse, ut plausibiliores, malles supprimere, osor humani plausus; quid tamen Cœlo facies longè maiora auso? neque affini tantùm nostræ noxæ, sed multò illustriùs peccanti: Nam cùm funebres faces, quas Tumulo tuo admovimus, penè extinxisses, Cœlum festos, & tantùm non nuptiales ignes, Nonori tuo accendit, quos tu scis æternos esse, & flabra, ventósq; contemnere: Sanè qui cœli picturam intelligunt, tria potissimùm sibi sidera notârunt, famulantibus radiis

radiis tibi emancipata, LEONEM, VIRGINEM, LIBRAM; hinc pictor illa penicillo exscripsit, & Poëta oblitus muneris sui, lacrymis abstersis, ex Lesso ad Hymenæum transilijt, & Nuptiale lemma tumulo adscripsit.

COELESTE CONNVBIVM.

VIRGO, LIBRA, LEO, *confinia sidera cœlo,*
Sunt jubar in Tumulum spargere visa tuum.
Ille TVOS *retulit vultus, Astræa* RENATÆ,
Amborum mores arbitra Libra probat.
Sed neutri addixit (fuerant paria omnia) palmam;
Decidit litem Numen, VTRIQVE DEDIT.

Bonũ factum! demus sua Astris nomina, & quoties Cœlum suspicit Boiaria, adoret suos Principes, GVILIELMVM & RENATAM, quos iam olim sua appellavit, sensítque sidera, & Olympo ideò reddidit, quia hæc stellarum non patria, sed exilium est: quanquam nec sic abiêre; non modò, quia cives suos quotidie revisunt, multò sereniore vultu, sed quia etiam nubem corporis, quæ illorũ radios nostris oculis attemperavit, apud nos depofuêre, ut Augustissimum Templum non modò Militiæ Cæli sacrum esset, sed etiam ab horum siderum mortalibus exuviis, lucem acciperet. Leo certè non ita clausit Lumina, ut non eminerent scintillæ, stricturæque serenitatis: eóque Pictor Leonem flammante vultu Aræ imposuit, qualis olim in Hermiæ Reguli tumulo

mulo stetit marmoreus, smaragdinis oculis, qui posteà, cùm gemmarum luce offensi Thynni refugerent, exempti sunt: Poëta nostri sideris post occasum lucentis oculos miratus, hanc Epigraphen carmini addidit.

POST FATA LVCET.

Hermiæ in tumulo recubans Leo saxeus, ignes,
Ore, in vicinas est jaculatus aquas.
Tu, quanquam jaceas non inconnivus in vrna,
Ex oculis radios spargis, vt antè, tuis.
Agnoscant alij vivos ex vngue Leones,
Nunc produnt radij te, Leo Boie, tui.

Quos ipsos ominamur fore æternos; nemo extinguet, aut eximet has gemmas; hoc privilegium oculorum est, qui Deum cœperunt intueri; non ampliùs caligant: sicut nec manus possunt putrescere, quæ Immortalitatem Beneficentiâ emerũt.

PICTVRA MAVSOLEI, QVA SEPTENTRIONES SPECTAT.

MORTIS SEPVLCHRVM.

SEd patiamur te Triumphos Fortitudinis tuæ abscondere; quando tibi decretum est, in funere Laurum non induere: Temperantiæ modestior est Pompa, neque petit purpuram, in qua splen-

splendeat: quæ si spectari publicè velit, tuo vultu, cultúque pulcherrima prodibit, Modestissime Princeps, quem terris tantisper Deum concessisse existimem, ut huius Virtutis illustre extaret simulacrum; quam ut ad vivum exprimeres, Principis Personâ positâ, teipsum in ordinē redegisti, memorabili quidem ad posteros exemplo, iacturâ tamen adeò nullâ, ut cùm deinceps nihil Cuperes, nihil Metueres, verè Regem te factum, aucto imperio, intelligeres: cuius Regni tui acta explicaret hic paries, nisi tam Fastos, quam fastum odisses. Maximum operum tuorum Pictor, penè ingratiis tuis, tumbæ inscripsit,

ABSORPTA EST MORS IN VICTORIA. *1. Cor. 15.*

De reliquo satis tibi fuit, veterum Modimperatorum exemplo, Mortis à te Triumphatæ larvam in omnes Mensæs inijcere, mutum Doctorem Temperantiæ, aut vetus carmen repetiturum, EDE, BIBE, LVDE, POST MORTEM TALIS FVTVRVS. Nimirum mavis vel ex hoc hoste tuo, quàm ex te sumi documenta Virtutum: At enim, si omnino præcepta Vivendi petenda sunt ex Vrna, quidni è Tuâ ea meliùs hauriamus? spirantem Virtutis suaueolentiam haud paulo avidiùs indè bibituri, quàm Mausoli sui

cineres

cineres Artemisia: quamquam neque tu à tali Cænarum promulside abhorruisti; cùm enim Vita tua omnis Mortis esset Meditatio, inter pias lacrymas, & Amoris divini incendia, ipsissimum Modestiæ succum, è Cineribus eliquâsti; quam tu Aquam Vitæ verissimo, & pulcherrimo appellatam nomine, propinas Mortalibus: etsi non deerunt Fastidiosi Convivæ, qui vinum Dominicum dedignentur, & nolint bibere ex Principis Vrna: Poëta tamen, Tuo nomine, pretiosissimo liquori hederam suspendit;

EX MORTE AQVA VITÆ.

Excoquite Hortenses, morituri, & condite succos,
Sudent in vestris tota roseta focis.
E siccâ stillat mihi Vitæ Potio *Testâ,*
Hanc ego Theriacam, præ Mithridatis, amo.
Manat ab exanimi Vita, & Sapientia, trunco,
Calvâque, quæ Cerebrum non habet, illa dabit.

Hinc illa Vitæ tuæ incomparabilis ratio, & Aula verè Sancta; nisi Modestiæ Templum appellare malumus, tuis moribus dedicatum; imò Pantheon omnium Virtutum; quas, quia, sine te, producere nõpossumus, Tecúmq; ostentare prohibemur, iuvat adorare silentio, & illis tam nobilem Aram gratulari, Maximi Principis pectus; nec Aurum, nec Phidiam postulant; à Te, & in Te, Optime Princeps, ad miraculum elaboratæ. Tu solus nullius in te lineamenta agnovisti, sed ne umbram

umbram quidem; Mortis Imaginem te ſolitus dicere, neque aliter venditare auſus; quanquam neque Cœlo, neque Orbi terrarum perſuaſiſti, ut dicenti tibi, quàm oculis ſuis mallent credere: difficile eſt, ſimulare Virtutem; diſſimulare difficilius; odor te, & ſpirantia etiam, te invito, Balſama, & nativus ſplendor, nullâ ſatis nube preſſus, prodiderunt: Poëta nihilominus, in tuæ ſpem gratiæ, quaſi tecum ſentiret, gratum lemma tumulo affixit,

VIVA MORTIS IMAGO.

neque tamen exiſtimo illum ex tuo magis voto, quam vero ita ſcripſiſſe:

Non ſatis eſt veluti Moriturum vivere: Nobis,
Annis, vita, fuit pluribus una, Mors.
Hac oculos ex lege meos, hac ora ferebam,
Christe tuæ fixum me ratus eſſe Cruci.
Hinc nihil in noſtram potuit Mors oſſea vitam,
Quam ſpeculum formæ viderat eſſe ſuæ.

Nempe Baſiliſcum illum (quod Pictor in Tumba expreſſit) ait in ſpeculum ſuum incurriſſe: nos id potiùs credamus, quando omnia mala nominanda illi Feræ ſunt, quæ te nobis abſtulit, Fatalem Scorpium, in illo vulnere, quod tibi fixit, aculeum perdidiſſe; ut illi inſultare liceat, veteri convicio, quod ægerrimè ſemper audijt, *Vbi eſt Mors Victoria tua? vbi eſt Mors Stimulus tuus?* Certè mortuum te, GVILIELME, neque qui efferunt,

runt, ſatis credunt. Tu ipſe id quotidie feciſti, & familiarior tibi propè ſandapila lecto fuit; ut neceſſe tibi etiā hodie ſit, Mortalitatē, pluribus documentis, probare; nam neque vetus Themiſtoclis dictum à te uſurpatum, Poëta ſatis ad mentem tuam explicavit,

PERIERAM NISI PERIISSEM.

Occidit, occideritque ſinas Sol Boicus orbi;
Nempe etiam has debent Aſtra ſubire vices.
Sed reditura cadunt; vitam Mors gignit: ut idem
Scorpio, quæ fecit cuſpide, damna levat.
Scilicet hæc ars eſt noſtri Paradoxa Magiſtri,
Vivere, ne vivas; ne Moriare, Mori.

Sanè tu ipſe Mortē rides, cæſo Principe jactātem

OPIMVM SPOLIVM.

Egregiam verò laudem! captata tot annis.
Mors ſpolia, Annoſi cepit, Opima, Ducis.
Noluit illa tamen ſolito ſuſpendere Trunco,
Sed ſecum in nigro contumulare ſpecu.
Invidit mihi delicias, quas Vivus amabam;
Nôrat enim mihi nil ſuavius eſſe Cruce.

Pangamus ergo hanc felicem Arborem ad Tumulum tuum, & cuius in Cœlo fructu paſceris, hîc fruaris Vmbrâ. Hîc ſceptra, hîc purpuram, hîc magna omnia Nomina defode, humilia aſſume; Voca te Cinerem, Pulverem, Lutum; nos te VMBRAM dicemus, ſed CRVCIFIXI.

TRA-

TRADVCES ELYSII AD MAVSOLEVM DEPACTI.

APicturis ad Arbusta Spectatorem deducimus; quæ ad quatuor MAVSOLEI latera, non infæcundo solo, depanximus. Atque hinc inprimis iubemus facessere; quicquid funestarum stirpium Pyræ veteres, sive ustrinæ arcendæ, sive cadaveri pulverando, âdmiserunt, Laricem, Taxum, Piceam: sola *Cupressus* inter feliciores ramos locum aliquem hîc suo sibi iure vindicabit.

CVPRESSVS

IN QVA PHOENIX PILEO BOICO INSIGNIS NIDVLATVR.

ATque huius tu Arboris ferali aspectu ne terreare, quisquis PRINCIPEM tam SERENVM, & Humanum, cùm voluptate sæpe vidisti; AVEM ipso in vertice nidulari voluimus, raræ plumæ: vt, quantum frutex præferret Mortis, tantum nidus promitteret Immortalitatis. Enim-

Enimvero homo & GVILIELMVS fuit, etsi PRINCEPS: nihil à se alienum hominis putavit: unde & ex Fatorum lege ad plures ijt, & moriendo, vivere occepit. Adeò miserum non est, mori aliquando incipere; cùm ad vitam hac viâ grassemur mortales. Sit igitur funesta *Cupressus*, dummodo eadem sit & rediviva:

EX FRVCTV ARBOR COGNOSCITVR

Matth. 12.

Vivit odoriferis Cyparissus posthuma ramis,
Celso immortalem vertice gestat Avem.
Fallor, an hac struxit GVILIELMVS *in arbore nidum?*
Vt taceant rami, PILEVS *istud ait.*
Vive diu o [illegible]*ix: nec enim, nisi mortuus esses,*
Vivere jam posses, Dux GVILIELME, diu.

Hoc enim, quod hîc vivimus, quantillum est? Σπιθαμὴ τοῦ βίου. seu vt ille: Οἵη περ τε φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.

Aut potiùs.

Somnus, Bulla, Vitrum, Glacies, Flos, Fabula, Fœnum:
Vmbra, Cinis, Punctum, Vox, Sonus, Aura, Nihil.

Et heu! pro Nihilo hoc quanta maria navigantur? quot bella suscipiuntur! Turres, Palatia, Vrbes ædificantur! Quæ quidem generosus GVILIELMI animus iam olim talia duxit, qualia sunt, NIHILVM, nihili: togatus, non inter Patres, sed Plebem:

Plebem: miles, non inter tympana, Sed Templa: verè, si quisquam alicubi alius, PRINCEPS PACIS.

OLEA.

AD QVAM LEO BOICVS RHOMBIS SVIS INDORMIT.

QVid ni ergo ad MAVSOLEI pergulam, vivacibus ramis, protuberet surculus Palladis? Pingue est hoc germen; immune à carie; ducentis annis durabile. Sed hi quid ad Æternitatem? Adde somno, & beatitudini LEONIS BOICI ducentos alios; adde alios; adde millenos; adde plures: IN PACE FACTVS EST LOCVS EIVS: ad Olivam lectulum reperit: quiescit diutius; omnibus bonis unâ voce apprecantibus,

REQVIESCAT IN PACE.

Quisquis ades, fessum noli turbare LEONEM,
Isthac quem voluit Parca quiete frui.
Non frustra umbrosæ dormit compôstus Olivæ:
Aeternâ dudum vivere PACE *cupit.*
Obtulit hanc illi torus hic: non invidet Aether:
Acclamare tuum est: SVAVITER. EVGE. DIV!

Nisi fortasse ad FICVM suaviùs dormiret, quàm OLEAM: utpote cuius baccæ cum fructibus GVILIELMI, sapore, gratiâ, salubritate mirificè

rificè conspirant. Erigat ergo sese, & MAVSOLEVM PRINCIPIS optimi, Arbor optima stipet.

FICVS

CVIVS POMA HIANTIA PVRPVRAS, LEONES, MITRAS, CRVCES, &c. ostentant.

NImirum facilè non degenerant stirpes: nec, ut magnus magni Veri Auctor ait, *legunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus*; Et Leones non pariunt lepores: &

imbelles
Non generant Aquilæ columbas.

Oraculum est:

Fortes creantur fortibus.

A FICV igitur quid expectassemus aliud, quàm dulce quid, amœnum, nectareum? quod nisi sapiat, omnibus Galenis consentientibus, vitium in stomacho est, non pomo:

ARBOR BONA BONOS FRVCTVS *FACIT. Matth. 7.*

Ardua pomiferis, quæ prensat nubila, ramis,
Ingenium certè nobilis Arbor habet.
Surgit, quando cadit. Nunquā GVILIELME *stetisti*
Altius, hic quàm dum flebilis Vmbra jaces.

Nec

Nec minùs in FRVCTV *ingenium eſt; mirabile dictu!*
Quando cadunt, ſurſum BOICA POMA *cadunt.*
Prodigium! ſed ijs, qui ignorant naturam Virtutis: quæ ſurſum ſemper fertur, & in arduo, per ardua, ſedem quærit:

Virtus recludens immeritis mori
Cælum, negatâ tentat iter viâ:
Cœtúſque vulgares, & udam
Spernit humum, fugiente pennâ.

Quare in cœlo omnes denique Arboris huius fructus colligentur: ita auguramur: ita vovemus: ita GVILIELMO & LAVRVS ſtabit, & MAVSOLEVM coronabit

LAVRVS.

VENTIS OMNI EX PARTE PRESSA, NON OPPRESSA.

ATat, quid LAVRVS inter Nænias? quæ Epinicijs aſſueta, pro foribus Cæſarum, & Pontificum, *gratiſſima* (ut ille loquitur) *Ianitrix excubare novit* potiùs, quàm buſta ſervare. Temere hîc ſtaret, fateor, niſi vel Imperatorum ſanguis GVILIELMVS fuiſſet; vel nos mortem ipſius ruinam potiùs, & interitum, quàm Victoriam, aut Triumphum iudicaremus. Quid enim illius perijt? vivit in Liberis, vivit in factis: & ut de poſteriore aliquid: ea ſunt, quæ
gesſit

gessit hic Heros in togâ, qualia qui in sago patrâs-
set, næ ille cum Lauro in Capitolium, inter gesti-
entium triumphantes voces meritò deduceretur.
Sed GVILIELMVS in cœlum duci conten-
tus est. Virebit igitur æternâ sub arbore eiusce-
modi caput: Perennabit GVILIELMVS, &
quod GVILIELMI est; quantumcunque si-
ve intra claustra, sive extra fremant rabiosi venti:

FOLIVM EIVS NON DEFLVET.
Psal. 1.

Stat, licet Aeolijs prorumpant vndique castris
Agmina, & invicto vertice LAVRVS *ovat.*
En tibi de FOLIIS *nullum,* GVILIELME*, putamus,*
Excidit; æternâ prosperitate virent.
Tantum in RADICE *est. Euros ridere, Notósque,*
A magno didicit, magna propago, DVCE.

Aut si non à LEONE sanguinem hunc, & ge-
nium traxit generosa posteritas; quînam, tantis,
obsecro motibus, ac tempestatibus adhuc pares,
immò superiores esse potuerunt LEONES
Boici?

Ollis cæruleus supra caput astitit imber,
Noctē, hyemémque ferens: & inhorruit vnda tenebris.
Ipse gubernator puppi FERNANDVS *ab alta,*
Heu, quinam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidue pater Neptune paras? sic deinde locutus
Colligere arma jubet.

Iuxo

Iure ergo LAVRVS coronat LEONEM, qui hostium sanguinem fudit, amicorum ut servaret: Iure ad cœlum usque evehimus GVILLELMVM, qui, ne cœlum multi perderent, cum SVIS effecit:

Pandite vos igitur, cœlestes, Sidera, portas:
Magnis è terra sumptibus, Hospes adest;
Hospes non humili Bojorum sanguine cretus,
Cujus jam priscos novit Olympus Avos.
Nec dubito vacuum GVILIELMO *stare Tribunal,*
Et (veniat quamvis serò) vacare locum.
Scilicet exiguis, ad sidera, passibus itur,
Nulláque in pugna fit puto, pugna minor.
Heu mihi, quàm rari cupiunt hîc esse petauri!
Quàm pauci currunt Bellerophontis equo!
Sunt tamen & ludi hæc, possunt & OLYMPIA *dici,*
Quando capit palmas Victor, Olympe, tuas.
Interea (ô monstrum! (veteris quos gloria Circi
Commendat, nullos hîc habuere pedes.
Atque hanc non Salius metam, non ipse Diores,
Nunquam hanc viderunt Nisus, & Euryalus.
Quæq; vel intactæ segetis per summa volâsset
Gramina, in hoc stadio tarda Camilla fuit.
Immò, vt sunt volucres pueri, cupidique coronæ,
Linquunt barbatos sæpe volando viros.
Solus par magnis Cursor Cursoribus ivit,
Ardet in Elysiis dum GVILIELMVS *opes.*

gessit hic Heros in togâ, qualia qui in sago patrâsset, næ ille cum Lauro in Capitolium, inter gestientium triumphantes voces meritò deduceretur. Sed GVILIELMVS in cœlum duci contentus est. Virebit igitur æternâ sub arbore eiuscemodi caput: Perennabit GVILIELMVS, & quod GVILIELMI est; quantumcunque sive intra claustra, sive extra fremant rabiosi venti:

FOLIVM EIVS NON DEFLVET.
Psal. 1.

Stat, licet Aeolijs prorumpant vndique castris
Agmina, & invicto vertice LAVRVS *ovat.*
En tibi de FOLIIS *nullum,* GVILIELME*, putamus,*
Excidit; æternâ prosperitate virent.
Tantum in RADICE *est. Euros ridere, Notósque,*
A magno didicit, magna propago, DVCE.

Aut si non à LEONE sanguinem hunc, & genium traxit generosa posteritas; quînam, tantis, obsecro motibus, ac tempestatibus adhucpares, immò superiores esse potuerunt LEONES Boici?

Ollis cæruleus supra caput astitit imber,
Noctē, hyemémque ferens: & inhorruit vnda tenebris.
Ipse gubernator puppi FERNANDVS *ab alta,*
Heu, quinam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidue pater Neptune paras? sic deînde locutus
Colligere arma jubet.

Iure

Iure ergo LAVRVS coronat LEONEM, qui hostium sanguinem fudit, amicorum ut servaret: Iure ad cœlum usque evehimus GVILLELMVM, qui, ne cœlum multi perderent, cum SVIS effecit:

Pandite vos igitur, cœlestes, Sidera, portas:
Magnis è terra sumptibus, Hospes adest;
Hospes non humili Bojorum sanguine cretus,
Cujus jam priscos novit Olympus Avos.
Nec dubito vacuum GVILIELMO *stare Tribunal,*
Et (veniat quamvis serò) vacare locum.
Scilicet exiguis, ad sidera, passibus itur,
Nulláque in pugna sit puto, pugna minor.
Heu mihi, quàm rari cupiunt hic esse petauri!
Quàm pauci currunt Bellerophontis equo!
Sunt tamen & ludi hæc, possunt & OLYMPIA *dici,*
Quando capit palmas Victor, Olympe, tuas.
Interea (ô monstrum! (veteris quos gloria Circi
Commendat, nullos hîc habuere pedes.
Atque hanc non Salius metam, non ipse Diores,
Nunquam hanc viderunt Nisus, & Euryalus.
Quæq; vel intactæ segetis per summa volâsset
Gramina, in hoc stadio tarda Camilla fuit.
Immò, vt sunt volucres pueri, cupidique coronæ,
Linquunt barbatos sæpe volando viros.
Solus par magnis Cursor Cursoribus ivit,
Ardet in Elysiis dum GVILIELMVS *opes.*

Non illum Aeolius plantis æquavit Achilles;
Non puer aërio corpore vicit Atas.
A prima observans semper lanugine recti;
Consilio Fabius, Relligione Numa:
Quicquid & Orcinæ contra movêre Phalanges;
Quicquid sacrilegûm factio, pluma fuit.
Non stetit ad pomi jactum, non obfuit illi
Callida femineis Hippodamia dolis.
Iustior & Pelope est victor: nec cessit arenâ,
Deprimeret fessos cùm gravis ala pedes:
Ipsáque jam raris veneranda Senecta capillis
Diceret: heu! nimium Dux GVILIELME *volas!*
Parce nivi, brumæq́ tuæ, longóque labori:
Non bene Cygneas portat arena comas.
Pòst, sudent alij, quibus est robustior ætas,
Quique minus partæ posteritatis habent.
Te tua jam dudum, ramo ex meliore, corolla,
Aurea jam dudum te tua sella vocat.
Audijt hæc PRINCEPS, *non hæc tamen audijt ille,*
Nil monitis, senio nil dedit ille suo.
Quà cœpit, pergit: speratur laurea; cursum
Non nisi cum sera sistere morte cupit.
Iam flexus tremulis pulsavit sidera palmis,
Iam palmis calidas addidit ille preces.
Hoc telo, Superi! quantos ille egerat hostes?
Nuper in hostili dum furit ira sago.
Boica multifido classis descenderat Istro,
Armata ad pacem, Terra Bohema, tuam:

Pugna fit: interea GVILIELMVS *supplicat astris,*
Quódque alij telis, hoc agit ore senex.
Spontè suum sequitur Dominum plebs omnis, & una,
Speratam, è cœlo, voce precatur opem.
Vincitur. Aut votis hoc MAXMILIANE *paternis*
Debes, aut debes MAXMILIANE *tuis.*
Non certè hoc gladij potuêre, vel hostibus ipsis
Testibus; armatæ non potuère manus.
Hora fuit; non tota fuit: hostilia, Rhombo
Stante, repentinam castra dedere fugam.
Nempe exorato VICTORIA *venit Olympo,*
LAVRVMQVE *in Boijs crescere jussit agris.*
Crevit, & ad Tumbam GVILIELMI *æterna virebit,*
Vt quoties pugnant Boica castra, ferant.
Aude igitur Palmas jam certus tollere, crescit
Quando tibi LAVRVS, MAXMILIANE, *domi.*

PYRAMIDES

QVATVOR, AD QVATVOR LATERA MAVSOLEI.

IAm verò illas Ptolomæorum substructiones, & machinas videres; nisi nos vel Ingenium, vel census, vel annona, vel tempus, vel omnia potiùs defecissent. Et gaudemus me hercule,


hîc impositum Apollini, eiúsque Operis modum, illâ Modestissimi Principis cautelâ : NE QVID MAGNIFICENTIVS. Nunquam paruimus faciliùs: Itaque PYRAMIDES istæ nostræ non erunt ex quatuor illis; quarum una octo soli iugera, paribus angulorum interuallis perhibetur fuisse complexa: altera à sexcentis hominum millibus, viginti annis, ædificata: Tertia, in quam mille octingenta talenta expensa, pro raphanis, allio & cepis, quibus artifices alerentur. Quarta Cheopis Regis, quæ in quinque stadiorum spatia longitudine excurrebat. Nos parciùs ædificamus, neque ex Æthiopia, neque Arabia advectis lapidibus: quibus & sufficit quatuor structuræ latera atramento tegere, non rubrica; ne in luctu gaudere videamur. In nostris igitur Pyramidibus Apicem solùm, & Basim admiraberis: illum, qui fastigiatus, ceu gnomone quodam, & digito ostendat, quò GVILIELMI, in vivis, cogitata, dicta, facta spectârint: hanc, quæ in quadrum proiecta, Constantiam, in beneprudentérque cæptis, atque immotum semper Principis animum designet. Neque enim dúm cecidit, etiamsi putetur: quod proximæ Pyramidis facies rectè monet.

QVO





QVO LONGIVS, EO ANGVSTIVS.



ETSI optimo cuique PRINCIPIVM FELICITATIS idem est, qui FINIS MORTALITATIS: succidi tamen GERMEN aliquod nobile, procerum, ferax, amœnum, illustre, lugendi magis, quàm ludendi videtur argumentum. Quid facis cruenta MORS! irascerer, nisi imperio alieno ferires: nunc flere malo, & quod impedire non possum, improbare non audeo, cum viris fortibus, ferre. Eheu! pudet erroris! Falce te solùm, & Telo armatam credebam priùs; ita mentiti sunt Poëtæ; Securi, ut video, uteris etiam; præsertim cùm alti Vertices secandi: adeò nunquam desunt furiosis arma; quando talibus suus ipse

Furor arma ministrat.

Si humilem Myricam succidisses, tacerem: si infelicem Rhamnum, nihil quererer; si Morum fatuam, Rubum asperum, Oleastrum amarum, alium aliquem truncum sterilem, inamœnum, fruticosum, etiam gauderem: nunc autem, cùm omnium longè fertilissimam, loco amœnissimo sitam, fructibus dulcissimis onustam POMVM è medio sustuleris, hoc enimverò est, ô MORS, quod calamo, stilo, lacrimis videtur prosequendum. Cui Te, GVILIELME, POMO quidni assimilem? qui fatale illud MALVM, sanè Malum, tot Virtutum pulcherrimarum fructibus quodammodo tua ex parte compensâsti; Igitur

tur non vnam modò gratiam meretur POMVS: Multis modis placet, quia multis FELIX.

FELIX VISV.

POMVS, *& Ambrosium* VISV *mirabile* POMVM,
Nostrum, eheu! stygia perdidit arte genus.
Atqui iterum celsas hæc se libravit in auras
ARBOS, *próque vno*, POMA *trecenta tulit.*
Putreat, & folijs pereat morientibus illa,
Nunquam hæc (sunt factis æmula) POMA *putrent.*

Quid ita? non Persica hæc sunt, non Punica; sed Boica: & Plinio ignota: quæ neque usu absumuntur, neque tempore marcescunt; neque oculis, nisi lippis displicere, neque palato, nisi vitioso desipere possunt. Cum sportulis certè adsunt, & calathis cœlestes Genij, legúntque certatim Boicæ Virtutis, cum bona POMONÆ veniâ!, quod in Triclinium Immortalitatis inferant, CHRISTOQVE gustandum proponant. O tua, GVILIELME Princeps, verè BONA MALA, quæ hoc os meruerunt! ô nobilem surculum? ex quo nobilissimi prodierunt! FRVCTVS antiquæ Fidei, incorruptæ Religionis, probatæ Constantiæ, indefessæ Pietatis, celebratæ Prudentiæ, raræ Munificentiæ, noti in divino honore propagando, in Hæresi opprimenda, in salute aliorum, & præcipuè Magnatum, promovenda, Studij, & Fervoris. Quid tu iam cruenta, & inhumana MORS, tua cum securi, in Fructus tam illustres,

quid

quid in istam possis ARBOREM? quæ (mirum dictu!) ipso interitu suo crescit, ipso est

FELIX CASV.

Cæde licet, strictámq; vibra Mors iussa securim;
Et Vita, & Fructus ista sat ARBOR habet.
Et septem, & decies septem stetit ardua messes;
Deniq; subiectam Cædua ditat humum.
Molliter ô ARBOS partis tot labere gazis:
FELIX, quæ Pomus in sua POMA cadit.

Enimverò diutius cur stet, non habet. Et GVILIELMVS Noster à Fortunâ porrò vivus quid expectasset? quid accepisset? Amaltheæ cornu dudum exhausit: Coniugem extulit plenam nominis, plenam virtutis: Liberos amplexus est, sub Purpurâ; Vidit inter Septemviros, cum Pedo, & Pomo: nec Pater modó, sed & Avis jam pridem audivit: Affinis maximorum Principum, Socer Imperatorum: Provinciam reliquit moriens incolumem, Florentem, Victricem: &, si in Filio vivit, si vincit Pater, Deum immortalem! quoties triumphavit GVILIELMVS? Fructum ergo vitæ abundè tulit, & cum Morte expostulet? nobis quidem id negotij relinquit; quibus tali PRINCIPE carere nimis quàm acerbum, & luctuosum est. Fruatur ille partis, quia ideo peperit: Fruatur Pomis; quia eum in finem Arbor excrevit; illa maturuerunt: ô Germen! ô Fructus

FELIX

FELIX GVSTV.

Punica mulcendis carpuntur MALA palatis:
Sunt qui mella legunt; qui melimela legunt.
Illa mihi ſapiunt, quæ Boica protulit ARBOS,
Pignora tam rari non peritura Senis.
O Dulci, ô Dulces, iſto de GERMINE, fructus!
Nunc nunc Heſperidum, nunc mala MALA puto.

Præſertim cùm à tam nobili manu legantur, tam molli ſinu foveantur. Viden' circumcurſantes alatos Iuvenes, certatim in autumnum Virtutis involantes? Hic Eleemoſynas Liberaliſſimi PRINCIPIS caniſtro excipit; ille preces nocturnas, diurnáſque calatho includit. Credas videre certantes olim Nymphas pro floribus;

Pratorum ſpoliatur honos: hæc lilia fuſcis
Intexit violis; hanc mollis amaracus ornat:
Hæc graditur ſtellata roſis; hæc alba liguſtris.

Par Angelis pugna in POMIS. Hic Gemitus, & Suſpiria exundantis, præ deſiderio Jmmortalitatis, generoſi pectoris, ſinu fovere; ille manu ſobriæ cœnæ analecta colligere: apta enim ſunt, & hæc corbulis, & (quod mireris) triſtia cœlo.

Te quoque flebilibus mærens Hyacinthe figuris,
Narciſſúmq; metunt: tunc inclita gramina veris

Præstantes olim pueros; tu natus Amyclis:
Hunc Helicon genuit; te disci perculit error,
Hunc Fontis decepit amor; te fronte retusâ
Delius, hunc fracta Cephysus arundine luget.

Quid multa? Flores, an poma tulerit hoc GERMEN; est illud certè

FELIX SINV.

Cætera textilibus clauduntur POMA canistris,
Qualia de sterili vimine Flora suit.
Hæc tua cælestes gaudent attingere dextra,
Quæ tecum ad mensam, Dux GVILIELME,*feret.*
FELIX *tantarum sequitur quem Gloria rerum:*
Claudetur POMIS *Mensa secunda tuis.*

Tecum dixi, ad Mensam illam dapsilem ferent, beatissima, PRINCEPS, Poma; indecens enim videretur, ut, ad quod convivium tuam SYMBOLAM attulisses, ipse tu non admitterêre. Abi securus: nisi enim me visus fallit, video CAROLOS, video HENRIÇOS, maiores tuos, in summo cœli vertice, renidenti vultu, lætis oculis, porrectis manibus, te invitantes, & SOLIVM HONORIS, quod tibi pia mortalium, & Immortalium VOTA construxerunt, indigetantes.

COLLOCET EVM CVM PRINCIPIBVS, CVM PRINCIPIBVS POPVLI SVI *Ps. 112.*

PRæclari VOTI præclarus AVCTOR! qui quidem

dem ne Serenissimæ Genti Boicæ acerbior esse videatur à GVILIELMO mutari locum vult, non conditionem; PRINCIPEM ad PRINCIPES abire, à suis, ad suos. Et si liceret, vates Vati, Citharœdus Citharœdo accineret, impare quidem, sed non impio plectro. Accepit enim Apollo, cum universo Musarum Parthenone, à Boica manu, quod servare tacitus, absque gravi totius Parnassi nota, sibi videtur non posse. Agite tamen, &, quibus vacat, aures date. Tametsi enim Modestissimus PRINCEPS Posthumæ impatiens Famę, ora Pieridum in suas laudes iam pridem occludere conatus sit; cæperunt tamen, insolenti miraculo, ipsæ Citharæ, ex Lauris, per Heliconem, pendulæ, sine plectro, sine digito, sine Magistro, ita occinere.

VOTA APOLLINIS.

I Felix nostris PRINCEPS dignissime VOTIS,
Cælestis dudum jam tibi SELLA vacat.
Cernis, ut Heroes cognato sanguine Boij,
Admerita, intento pollice, dona vocent.
Non faciant illi, SEDEM hanc tibi ponit Apollo,
Tam bene quando, tuo munere, & ipse SEDET.

Est enim & in Boica Parnassus, qui non minus, quàm ille in Phocide.

gemino petit æthera colle.

ubi alternæ MONACHIENSIVM, &

NIHIL SVBLIMIVS.



EN MORI-
TVRE; PY-
RAMIDEM
PONO. SCRI-
BE TV IPSE DI-
EM TVVM. QVIS
PLACEBIT? HAVD
DVBITO, NVLLVS.
AH! VNVS ERIT.

SOLIVM HONORIS.

EMBLEMA.

Vacua in Cœlo Sella inter SS. Carolum & Henricũ Impp. GVILIELMVM expectat; quem inter manus S. Michaëlis abeuntem vota variorum prosequuntur.

SEDEAT CVM PRINCIPIBVS,
ET SOLIVM GLORIAE TENEAT.
I. Reg. 2.

INGOLSTADIENSIVM Camœna GVILIELMVM, æternis Votis, & Vocibus, MECOENATEM canunt:

In medio residens Citharam quoq; pulsat Apollo.

Atque hoc eſt, cur & Societas IESV tantiſper à lachrymis ſibi temperandum putet, dum, Muſarum exemplo, communem omnium litteratorum PATRONVM, ſingularem ſuum, totidem Verſiculis decantet.

VOTA SOCIETATIS IESV.

O mihi, ſi Phrygij contingant aurea Regis
VOTA, vt quæ cupiam, non neget illa DEVS.
Tunc ego non Virgam, non gemmea divitis optem
Munera, ſive Indi munera, ſive Tagi:
Sed potiùs COELVM. Quamvis DVX inclite cælum
Illi fruſtra optem, qui tenet: opto TVIS.

TVIS inquam, at ſerò. Debent enim adhuc Patriæ, quantum tu perſoluiſti; CANOS venerabiles, NEPOTES Victores: quæ duo, non ab homine, ſed à tempore, à DEO pendent. Cui proinde & VOTA facit Societas, & pro LEONE Boico facit: antiquùm illud, Millies, tantis meritis provocata, ingeminans,

De noſtris annis, tibi Iupiter augeat annos.

Deinde verò quid Palatini? & qui GVILIELMO à pedibus, à manibus, ab ore? an minus precantur? immo expoſtulant etiam; niſi quodammodo illi comitari, & officio ſuo facere ſatis concedatur.

VOTA

VOTA AVLICORVM.

Ergo fugis, Boiæ SOL illustrißimus Aulæ;
Aetheriúmque, bono Remige, pergis iter?
Te sequimur, nostris, per Cœli cærula VOTIS:
O quàm vellemus, corpore posse sequi?
Vive, Immortalis, scelerique ignosce supremo,
(Culpa tua est) DOMINVM deserit Aula suum.

Quod ipsum, quàm inviti peccent, declarant hodiéque mœsti vultus, taciti gemitus, pia desideria, pullæ togæ, tristes Næniæ, & sacer quidam totius Palatij horror, & squalor. Neque enim nos, ô PRINCEPS, Dædali aut Mercurij sumus, te ut alati sequamur illuc, quò, sine alis, non pervenitur; quas tibi cygnea illa Ætas tua suppeditavit: Candor animi substrinxit; Aura cœlestis animavit; Virtus huic Genti propria (quid enim nominem, quam omnes norunt?) sublevavit. Adde, quòd nec sine Aligero comite abeas: illo inquam, cui Te, Tua, Tuos, iam olim, ingenti Munificentia sempiternóque Monumento, in Immortalitatem consecravisti. Quin etiam Clementiæ, Æquitatis, Prudentiæ, versicolores Pennæ, Virtutúmque aliarum

Innumeræ comitantur Aves, stipátque volantem
Alituum suspensa Cohors, exercitus ingens
Obnubit variolatè convexa meatu.

At Esuritorũ interea, Deus bone, quæ lamenta? quæ Voces? quæ Vota?

VOTA

VOTA PAUPERUM.

Væ nobis! abijt. væ nobis! Sidera prendit.
Væ nobis! posthac quis GUILIELMUS erit?
Cænatum satis est; satis est jam denique pransum:
Ite Codri; non DUX sed PATER, heu! abijt!
O Sors! ô fatum! Turba impia cogimur esse;
Ploramus, Cælum quòd GUILIELMUS habet.

Ne quid nimis tamen, ô boni! Nihil secum auferunt mortui, præter Linteum; & siquid amplius Principes aut Reges, aliquot fortasse pondo stanni: Respirare ergo vos iubeo: vivit adhuc, qui nō modò censum vobis vestrum non imminuat, sed & augeat: ita sperate, & cælo novum Incolam non invidete: ideo enim vobis dedit GUILIELMUS, ut reciperet. A vestro certè proventu, neque accepit quicquam, neque speravit. Quod si autem tantopere vobis in hoc mortalitatis pelago Fames, & nautici labores molesti sunt, date vela ocyus, & ad BONÆ SPEI PROMONTORIUM, cum Principe vestro, properate, qui triumphans exclamat:

TORRENTEM PERTRANSIVIT ANIMA NOSTRA.

Psalm. 23.

FAbulam somniantis Græciæ putaverunt Anti-

Antiqui, quam GVILIELMVS Boicus tanto pòst tempore Historiam fecit. Quinam hoc? ais. Delphino portatus Methymnæus Citharista, velificante plectro, littus subit: quâ usus aurâ, quo remigio Guilielmus? Accipe ex Tumba vocem: Favore divino, tanquam FAVONIO; Prece, tanquam PLECTRO. O docte Nauta! ô dulcis Musica! nunc ô nunc

Ars tua Tiphy iacet!

Feliciùs navigatur hoc Magistro; qui pro Clavo Corollam precatoriam, pro Remo Librum gestat. Meruit hæc aures Cithara; age, propera, Gulielme, propera

AD LITTVS DENIQVE.

Salvum Tænario quòd Ariona littore vidit,
Totum Adrastææ debet arena lyræ.
Plus debent calidis GVILIELMI *carbasa Votis,*
Dulciùsq; attento quæ cecinere Polo.
Audijt iste pium, rapuitque in tuta Lyristam;
Cui Mare Terra fuit, littus Olympus erit.

Felix littus! securus portus! in quo naufragium facere nemo potest. Quid? quòd hîc mensæ Vitellianis lautiores subeuntem vectorem expectant? quòd fercula Sybariticis dulciora fatigatum reficiunt? quòd pocula non Chio, aut Lesbio, sed nectare, & Ambrosiâ præteriti laboris pulverem

NON VLTRA.

AD
OSSA
VSQVE
LATRO-
CINANS
IN ME LIBI-
TINA SÆVIIT.
TV, SI PLACET,
MITIOREM SPE
RARE POTES,
NON EXPERIRI.

PROMONTORIVM BONAE SPEI.

EMBLEMA.

Arion Delphino insidens Citharâ feram sic permulmulcet; vt incolumis ad littus & Conuiuium enaviget.

EDVXIT ME DE LACV MISERIÆ. *Psal.* 39.

pulverem abſtergunt (ſat laboratum inter procellas; ſat luſum inter feras; deſiderium illud tuũ DEO propiùs fruendi, cœleſtiq; menſæ accumbendi, explendum denique: propera, Guilielme, propera

AD COENAM RECTA.

Auritos inter luſor Delphinas Arion,
Iam dudum æquoreis eſca relicta feris,
Pertentat dociles arguto pollice chordas,
Mercedémq; ſuâ, prandia, ab arte capit.
Prandia non poſſum, GVILIELMO ſpondeo cœnam;
Cœnant in Cœlo; Prandia Mundus habet.

Eheu! quàm noxia! quàm non ad priſcam maiorum parſimoniam!

cùm quadrâ vivitur vnâ!

Quàm non ad veterem Sabinorum ſtomachũ, quibus ne prandij quidem nomenclatura ſapuit? Vt tanto ſuaviùs nunc palatum BOII PRINCIPIS, Magna illa Magni Regis COENA demulſura ſit, quantò ſæpius antea à prandiorum luxu abſtinuit, quantóq; nunc honeſtiore loco inter Temperantiæ coronatos proceres in cœlo aſſedit;

Nempe Deûm cultu, & ſacro dignatus honore
Præcipuis, multóq; procul ſplendentibus oſtro
Accipitur ſublime toris; non vna Miniſtri
Turba gregis.

Imò linteatus ipſe Convivij Modimperator CHRI-

CHRISTVS lectulos eburneos ambit, dapem infert; prô quam exquisitam! propera GVILIELME, propera

AD COELVM SECVRE.

Cum Citharedo omnes jactamur Arione Ponto,
Quicunq; ex veteri plasmate massa sumus.
Non negat hoc PRINCEPS, capto jam littore lætus,
Sed nocuisse vndas, hoc tamen ille negat.
Adverso vehitur (quis non miretur?) Olympo;
Nonne alas habuit, quæ RATIS ista potest?

Nisi Naviculatorem ipsum alatũ magis velimus: quem RELIGIO in Deum, CARITAS in homines (quis nescit?) volucrem fecere. Tantum fuit in PRINCIPE nostro utrumque decus, quantum Orbis miratur, Cœlum compensabit. Irem per membra, nisi voto intercessum esset; sed eiusmodi sunt hæc vitæ ornamenta, ut mutis nobis, seipsa radijs prodant: hæc Solis natura est. Sic tu Religiosissime PRINCEPS, ut maximè velis, latere non potes. Age; portum ingredere, BONÆ SPEI PROMONTORIVM conscende, præmium capesse, in Cœlum te penetra: necdum tamen hîc fixa Tuę Virtuti ab Hercule est columna: PLVS VLTRA: propera, Guilielme, propera.

AD DEVM VSQVE.

Cantatum satis est; terram jam spectat Arion,
Iámque jubet chordas ipse tacere suas.

Ille

Ite feri fluctus: alium jactate procellæ:
PRINCIPIS ætherium suppara littus habent.
Cũ CHRISTO, *in* CHRISTO *est: cur ergo Boica ploras?*
GVILHELMVM *si vis quærere, quære* DEVM.

QVid Agno contingat optatius, quàm exspinis in hortum transferri? quid GVILIELMO, quàm ex Terra in Cœlum? Mors hoc illi beneficium præstitit: quam imperiti ad perniciem humani generis grassari arbitrantur. Falluntur, & fallunt: nunquam enim malè sensit de Morte, qui vixit bene; neque perdidit aliquid, omnia qui accepit. Erant, fateor, in GVILIELMO, vnde PRINCIPEM & Magnum PRINCIPEM non modò ageret, sed & ornaret: sed quid BoIARIA ad Cœlũ? deliciæ, fortunæ, beatitates mortalium, ad Paradisum Voluptatis (in quo cùm AGNVM Boicis Rhombis, atq; Aureo Vellere insignem merita sua haud dubiè collocârint, & ex Spineto, in Rosetum transtulerint, quid est cur plorent LEONES?


SOLATIVM LIBERORVM.

Heroum Sanguis, Boiæ spes proxima Gentis,
Sistite, quas vestris, Isara miscet, aquis.
Florida ad Elysios, Genitor Triclinia fontes,
Stravit, & à spinis jam nihil ille timet.
Cur ergo sorti vos invideatis avitæ?
Antè LEO *fuerat, nunc Pater* AGNVS *erit.*

Verùm

VENIMVS AD SVMMVM.





NOLI
MIRARI
STANTEM
SINE SEN-
SV VMBRĀ:
TV SINE SEN-
SV VIVIS, ET
AMBVLAS: SEN-
TIES TAMEN,
CVM VENERO.

TRICLINIVM IMMORTALITATIS.

EMBLEMA.

Mors in porta geminum Hortum dividente, Agnum Boicis Rhombis insignem ex Spineto in Rosetum transfert.

IN LOCO PASCVAE IBI ME COL-
LOCAVIT. Psal. 22.

Verùm uter ſit, ſive LEO ſive AGNVS, in cœlo paſci, abſurdum non erit. Nam & CHRISTVS, uterque fuit, & *Agnus ſine macula, & Leo de Tribu Iuda*: talem Convivatorem, talis decebat Conviva; talem Agnum, talia Prata. Quid ergo Leſſum muliebriter producis, & CONVIVIVM IMMORTALITATIS plan&#x1d;ctu importuno funeſtas, ô PATRIA?

SOLATIVM PATRIAE.

Boica, quid ſalſis fruſtra te proluis undis,
O nimium in Dominum prodiga terra tuum?
Lætus in Eois depaſcit cinnama campis,
Ambroſiâ dulcem provocat ille ſitim,
Non redit in Boijs quamvis Dux maximus: illo
Iam DVCE, majorem ſe putat eſſe DVCEM.

Quanto putas maiorem? dicerem, dici ſi poſſet: ſed nimirum ſuis circumſcribitur finibus Boica; non Cœlum; Vita mortalium, non æternitas: illam terminavit, hanc cœpit GVILIELMVS: tantum abeſt ut aliquid deſeruerit, qui ex Provinciâ inſtructiſſimâ, poſito imperio, & faſcibus diſceſſit. Quare ô MONACHIVM, Vrbs Inclita, tametſi aureo nuper Septemviratus locupletata Pomo, noli cum Cœlo expoſtulare, aut ſimultates gerere: periculoſè æmulamur, aut reprehendimus, cuius gratiâ indigemus: noli PRINCIPI Tuo imperium maius abrogare: quod ut obtineret, iam olim Principem exuit, inter Competitores

res adſcribi voluit, Sparſiones fecit, ſuffragia Quiritium, cœleſtium inquam Indigenarum collegit. Habes, cur Felix dicare, etiam hoc in luctu:

SOLATIVM VRBIS.

Quare funereis Vrbs inclita parce querelis;
Aut partes Codris da magis, oro, Tuas.
Hi flere, hi poſſunt, quorum jam menſa fatiſcit;
Et qui GVILHELMI diripuere penum.
His nemo melior, nemo hac eſt doctior arte:
Egregiè facient, quod didicere diu.

Cæteris ne GVILIELMVS quidem conceſſerit, altiùs pro ſe ut ingemiſcant. An verò neſcitis, quæ mandata dederit Moriens? Efferri volebat ſine Præcone, humari ſine Pompâ, putreſcere ſine Famâ, ſcribi non PRINCEPS, ſed (ex Tabulis loquor) PECCATOR. O verè altum animum, qui tam profundè deſcendit! Et certè ſi cuiquam flere liberaliùs aliquanto conceſſum foret, Clero & Viris Religioſis, immo & Feminis foret: qui Religionis Lumen in GVILIELMO extinctũ, Columen Sacrorum labefactatum non vanâ fortaſſe querimoniâ lamentarentur: quibus ipſis tamen & hoc non licet & illud præcipitur, ne iniquiore animo PRINCIPIS ſui mortem ferant, quàm ipſe exceperit.

SOLA-

SOLATIVM CLERI.

Quòd demum niveis PRINCEPS *abit obsitus annis,*
Quòd servat Dominum Victima nulla suum:
Non est, cur altâ Pastores voce querantur,
Dulcia cùm posthac Pascua carpit OVIS.
Sæpe mori Pietas causa est. Dum nuncupat, illi
Ex VOTIS *fuerant, ultima* VOTA, *mori.*

Quî ultima? cùm fecerit ipso momento, quo natus homo est? præstitit facto, quæ promisit facto: verbis enim Natura permittit se regi. Soluit ergo GVILIELMVS libenter, quod nos debemus libentius, quàm soluimus; fatur Vitæ, nondum Mortis; quando Mors illi Immortalitas, & Beatitudo est. Quo fit, ut neminem sua causâ tristari velit, cuius Serenissimus vultus exhilarare, non terrere consuêsset; nisi qui Solem non ferrent. Hinc & ista SOLATIA non tam ex sua, quàm GVILIELMI mente Poëta dividit: ut sua causâ, neque Propinqui, neque Alieni, neque Cives, neque Exteri, neq; Summi, neq; Infimi,

Deniq; Nemo fleat. Parto GVILIELMVS *Olympo*
Hoc jubet, & fieri jussa suprema cupit.
Ite aliò lachrymæ; nolo hanc vos tangere Tumbam,
Nolo in GVILHELMI *gaudia gutta cadat.*
Si tantum est oculis undæ, si flumina ripis
Tanta, in se dignos rapta ferantur agros.

Immune

Immune à lachrymis Cœlum sit; Terra sat amplam
Materiem vestris suppeditabit aquis.
Omnia confuso latè sunt turbida Mundo,
Fumant in tecto prælia; flete, licet.
Stant circum annosi, & divexant corpora morbi,
Atra vomunt pestes toxica; flete, licet.
Paupertina altos plebs verberat irrita postes,
Et jejuna gemunt viscera; flete, licet.
Frater it in Fratrem; coram Prætore parentem,
Natus vult causam dicere; flete, licet.
Hic gessit sceptrum, quem nunc malè fulcit Arundo,
Exulat hic misero cum grege; flete, licet.
Atque vt eant homini pro voto cætera, restant
Intra hominem pluvijs non minus apta suis.
Audaces animi motus, insana libido
Excitat, & cogit nubila; flete, licet.
Surgit & atrocem ter formidandus in hastam,
Pluto, instátq; alto verbere, flete licet.
Castra Voluptates Plutonia dêinde sequuntur,
Tota hominem cingunt Tartara; flete, licet.
Hinc mentes crebro laceratæ vulnere cedunt,
Heu pretiosa Orci pabula! flete, licet,
Nempe ingens flendi mortalibus argumentum
Ponimus; eximius dum GVILIELMVS *erit.*
Quicquid enim flendum, pro se jam fleverat ipse,
Antè sui fierent quàm cineres oculi.
Iam fruitur fletu, nitidus post nubila Phœbus,
Ipsi quando comâ splendidiore micat.

Absolvit scenam; nec cur produceret ultra
Vitam, habuit; nec cur flumina postat, habet.
Quid poterat vel sors illi, vel Numina sorti
Adijcere? Optatis gloria major erat.
Fama, Nepos, Senium, tria magnis debita Votis,
Regiam in hoc pariter sedem habuere DVCE.
Accessit Virtus, Homini Fortuna quid addat?
Si nihil illa potest, siste Viator aquas.
Claudite vos rivos Musæ; stent flumina: posthac,
Si quid GVILHELMO scribo, TRIVMPHVS erit.

QVia nimirum extra CORPVS, & CVLPAM est GVILIELMVS, utrumque mortalitatis seminarium. Enimverò extra Culpam non nunc demum positus est. Nota est enim, non in patria duntaxat, verùm etiam, quàm latè patet Orbis, quam vivendi rationem Religiosissimus PRINCEPS, tenuerit: prima illi curarum, ab omni noxa esse immunem. Quod eius studium, adeò inimicam afflixit Stygem, ut omnem de GVILIELMO victoriam desperârit. Quare, quam aversam turbam pictor in emblemate exhibuit, Oriciniana est legio, quæ pulsa fugam subit, ne iugum debeat; tergáque Victori dat, quia manus cogitur; nam videt hostem superiorem telis suis, quoniam astris sublimiorem, & quia non ampliùs peccato obnoxium, ideo nec Morti. Dixi, etiam extra CORPVS esse GVILIELMVM; & verò erit, quamdiu Mors erit;

nec

META MORTALITATIS.

QVID
LVGES
BOICA?
PRINCIPEM
AMISISSE?
NON EST AMIS-
SA GEMMA,
QVAE ARCA CLAV-
DITVR; ET COE-
LVM ARCA EST,
ET FORTIVS CLAVSA.

MORS TRIVMPHATA.

MORS ILLI VLTRA
NON DOMINABITVR.

AD ROM. VI.

nec enim antè illud recipiet, quàm immortale sciat. Dedignatur illustris animus iugum tuum, o Parca; & velut carcere solutus, ridet catenas tuas, & vincula

ÆTERNVM LIBER.

Ea propter

Ite Catenati Steropis, Brontæq; Labores,
Et fugite elusas irrita vincla manus.
Frustra estis, tantam ceperuut sidera prædam;
Nec cadet in vestras amplius illa plagas.
Liber in Elysijs GVILIELMVS *inambulat agris:*
Vin' comes esse? tuum, Terra, sequare DVCEM.

Nec enim DVCEM amisisti O BOICA, sed præmisisti. Superi! qualem DVCEM? quàm fidum? quàm industrium? qui Suos, quoad vixit, tam laudabilibus præivit exemplis. Sed & tunc, quãdo nuper morituriens abibat.

per iter tenebricosum,
Illuc, vnde negant redire quenquam:

Cùm iam iam sistendus esset rigido Tribunali, quasi suimet oblitus, secuturos quàm sollicitè admonuit, quî sese ipsi parare ad viam tam periculosam deberent; nî, cum salutis dispendio, à recto tramite aberrare æternùm vellent. Philosophum extollit Antiquitas, quem Mors discentem Græcas litteras oppressit. Quò te efferemus, Fortunatissime Senex, qui, cùm tibi novissima horula instaret, non discis, sed doces, non Græcè loqui

loqui, sed Romanè mori? Sciebas tu id quidem quàm probissimè iam antè; sed non satis habebas, nisi etiam alios doceres, severo sanè Magisterio, sed opportuno. Quod igitur tibi Minerual damus, quod δίδακτρον, optime GVILIELME? Cœlum persoluet, quando Terræ opes iam dudũ nauseas. *Nam qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi Stellæ in perpetuas æternitates,* Certè Apelles iam splendidum sidus in tabulam finxit, quale te noverat esse in cœlo. Et licet infra fatalis rogus adhuc fumiget, non ille tamen Serenissimam lucem tuam obscurat, sed illustrat, in auri morem, quod purius lavacrum non habet, quàm luculentas flammas.

Micet inter omnes
Boicum Sidus, velut inter ignes
Luna minores;;

neque est de cætero, quod tenebras metuat Boicus aër, tanto Phosphoro

ÆTERNVM CLARVS.

Quæ superi! ætherios nova fulget Stella per orbes,
Orta è funesto Stella corusca rogo?
Terga relucenti MORS dat fugitiva nitori,
Nec fert insolitam Noctis amica diem.
Hinc Stygias repetit tenebras; te, Boica, linquit:
Occidere hoc nunquam scit tibi posse iubar,

Neque verò fugit solummodò feralis Larva, sed & indignata, accisas regni sui vires, de capite coronam detrahit, sceptrúmque, verendum mortalibus, solo affligit; non contenta imperio, quo, dum Principes interficit, facit; Regésque seminat, dum metit; HENRICOS, Carolos, aliáque Gentis BOICÆ decora, quæ vel invita, ad sublimiora dignitatum fastigia extulit, quàm præcipitârat. Atque adeò etiam nunc ringitur invida, dum & GVILIELMVM super æthera regnantem suspicit; quem, suo pressum iugo, despexit. Atrumpatur illa; certè Ipse Cœli solium meruit, quia terrarum sponte posuit: Mortales scilicet hos honores arbitratus, uti & eorum aucupes; ideo immortalibus inhiavit; & nuper assecutus est, posteaquam è mortali factus,

ÆTERNVM PRINCEPS.

Bis tibi bina, DVCES, etiamnum pignora vivunt,
Augustúsq; Gener, Réxq; VVILHELME Nepos.
Haud tamen ista movent tam grandia Nomina Mortem;
Vnum dum cernit Te super astra, fugit.
Nec modò vult sceptrum, nec vult gestare coronam:
Scilicet Imperium jam timet illa tuum.

Quidni enim timeat, quæ novit, qualis adversum Morbos, Mortis anteambulones, hic Heros fuerit? quàm forti animo, licet imbecillo corpore, eorum impetum sustinuerit? Obsederunt illi GVILI-

GVILIELMVM aliquamdiu, sed ut eò integrior liberiórq; ad Superos evolaret; Straverunt Victum, ut altiùs resurgeret. Palmam deniq; concesserunt, quia Sidera contulerunt. Quanquam quid victum dico? cuius invicta Patientia vel eò fugavit hostes, quia æquanimiter toleravit; post hac

AETERNVM SECVRVS.

Postquam videlicet

Optatis tandem, GVILIELME, beatus in oris
Vivis, nec, tuto porrò quod obsit, habes.
Ipsa fugam procul hinc MORS exarmata capeßit;
Et sequitur Dominam morbida turba suam.
Gaudet & æternùm Iuvenem te cernere Cœlum,
Quem jam desperat Terra videre Senem.

Desperat, & ideo tantis inundatur lachrymis, tantis singultibus ingemiscit. Lunam se amisisse iam dudum queritur; nunc & Solem occidisse ingeminat: quasi verò GVILIELMVS non ideò occubuerit, ut iterum oreretur; & RENATA non ideo denata sit, ut renasceretur. OBOICA, discute mœroris nubem, redibunt tibi eò candidiores Soles, quò pluribus, à morte tot Serenissimorum tuorum Principum, est auctum cœlum.

Nondum, siccato lachrymarum fonte, pluentes
Lina serenârunt officiosa genas?

Nondum mœsta graves posuerunt pectora planctus;
Non rediit laceræ pristinus ordo comæ?
At jubet hoc Fœlix, quem luges BOICA, Princeps;
Nec petit ille tuas, quo flagrat, ignis aquas.
Cernis enim, superâ quæ Stella refulgeat orâ,
Nec largum imminuant fumida busta jubar?
Sic nitet ætheria rutilans GVILIELMVS in aula,
Et domino famulum despicit ore Solum:
Vibrat & hinc atque hinc lucem; quâ longiùs ipsi
Non spargunt radios Lunáq; Sólq; suos.
Ergo quid extinctum gemis insolata Parentem,
Qui micat Elysio nobile sidus agro?
Explicitis gaudet jucundus navita velis,
Prona laboranti dum videt astra rati.
Et tibi STELLA oritur, miseræ patrona carinæ;
Porrò tuum quid fles occubuisse DVCEM?
Erras heu! erras, dum ploras funera; vivit,
Nec vitæ fuerat certior antè suæ.
Haud ita per silices soboles secura minaces,
Ludit inoffensô, matre regente, pede;
Haud ita læta canit, spatiosô libera campo;
Quæ caveam duri rupit acanthis Heri:
Ceu tuus, ô fœlix regio, super astra GVILHELMVS
Vana triumphatæ spicula Persephones.
Nec modò membra graves dominantur in ægra dolores,
Sera nec exsangues contrahit hora genas.
Armatæ nuper fatali forfice Parcæ
Iactabant vacuâ stamina rara colo.

Nunc,

Nunc, quia perpetuæ cernunt nova vellera vitæ,
Ipsa secat proprias turba fugata comas.
Vidi ego, mortales GVILIELMVS vt exuit artus,
Morbida sub patriam monstra reversa stygem.
Fugerat ante omnes incurva senecta Megæras,
Turpis, & impexas horrida larva nives.
Nec bene par gradibus comitata senilibus ibat,
Ponè trahens lentos dira Podagra pedes:
Nam, quæ Principibus vetus incola vixit in aulis,
Insolitæ fuerat non satis apta fugæ.
Post hanc multa Febris, vicinus Febribus Hydrops;
Et quam parturijt Thessala cista luem.
Vltima funestam clausit Libitina phalangem,
Impatiens Boio subdere colla jugo.
Sæpe retorquebat cæcum caput; irrita sæpe
Tela sub invisas, misit itura, plagas.
Vincula nonnunquam, modò desperata catenas,
Nil profecturis proijcit è manibus.
Quid referam, postquam proavis super æthera junctum
Regibus, emeritum viderat esse DVCEM?
Tunc pessum abreptam dedit indignata coronam,
Sceptráq; mortalem queîs domat illa gregem.
Tunc malè questa, dehinc nunquam ventura fremebat
Funera sub leges, tam pretiosa, suas:
Interea tutis victor GVILIELMVS ab astris
Ridet inaccesso regna superba throno.
Nec timet vlla suæ nocitura pericula vitæ,
Securo Princeps liber in Imperio.

Hæc importuno ne turbet gaudia luctu,
Pone modum lachrymis, BOICA *mœsta, tuis.*
Invidia est pietas, quæ lætis rebus amici
Ingemit, & nimijs ringitur ægra bonis.

PRETIOSA IN CONSPECTV DOMINI MORS SANCTORVM EIVS.

Psal. 115.

NEc enim vilis esse potuit, quæ GVILIELMO tanti constitit; quando hæc una illi Nundinatio placuit, *Bonam Mortem Emere*; quâ meliorem mercem negavit habere Orbem terrarum: Et accendit profectò illius pretium, & rem contemptam vulgò, & in abstruso sitam, verè fecit PRETIOSAM. Hinc illa Ægrorum. Egenorúmque, quos Deus Felicium Fatorum institores fecit, comploratio, Mercimonium sibi suum perijsse conquerentium, & liberalissimum Emptorem. Nemo enim in Vitam tantum unquam sumptum fecit, non modò qui lautè, sed nec qui prodigè quidem vixit, quem non GVILIELMVS, in unius Momenti apparatu, quo mors absoluitur, munificentiâ superârit, ut non dubitârit Poëta illi Hederam suspendere, & invidendam Epigraphen.

CARO

PERICVLOSISSIMVM FASTIGIVM.





IVRE
MORS
APEL-
LOR, QVI
A AMOR-
SV POMI O-
RIOR: ET,
QVOTQVOT VI-
VVNT HOMINES,
MORDEO, FERALI VENATIONE.

GLORIOSA PARENTATIO.

BEATI MORTVI, QVI IN DOMINO MORIVNTVR.

APOC. XIV.

CARO EMPTA.

Quid prohibes, GVILIELME, *tuas nos dicere laudes,*
Atque vetas largas ferre sub astra manus?
Te vel muta suum clamant Collegia Patrem,
Auctorémque vocant splendida tecta suum.
Ergò, nefas VITAM *mihi cùm sit prodere, certè*
Empta tibi tanti Mors pretiosa *fuit.*

Sed & pictura Mortis tuæ pretium indicavit: nam Phœnix, edito super scopulo, accensis aromatibus immoriens, te, GVILIELME, refert inter fragrantissimos virtutum odores exspirantem, quos non antè modò, sed & cum anima per vniversum orbem diffundendos exhalásti. Abeste proin funestę taxi, abeste ferales cupressi, quibus olim vetus Roma conflagravit, peiùs nunc arsura. Clementiore rogo *ad astra* volavit GVILIELMVS, quia sanctioribus ardebat flammis. Etenim quos Pietatis igniculos benigna natura, & optimorum parentum institutio nascenti inseverant, eos ipse, reliquâ ætate, usque eò auxit, dum se iam non ampliùs in angusto corpore continerent, sed ad sphæram eniterentur suam, eo gratiori Superis holocausto, quo rariori; quia

PROPRIO INCENDIO,

Ardebat Pietate animus, sanctúsq; fovebat,
Frigida vicinâ pectora morte calor.
Hinc mihi visus eras moriens, DVX *optime; qualis,*
Cùm Phœnix Arabes conflagrat inter opes.

Discri-

Discrimen tamen est hæc inter funera: Phœnix
Vritur igne alio; *tu* GVILIELME, *tuo.*

Eodem scilicet, quo & reliqui bene factorum fructus, quos, ceu fœta arbos, afferre Pietas consuevit, probè per tot æstates excocti sunt. Hinc Malum quoque Punicam videas, cuius Poma Mors legit, antequam cadant; quia iam matura scissus cortex prodit, vulnere minùs lethifero. GVILIELMVM nostrum Pictor adumbrare voluit, quem Clotho rapuit Orbi, quia Cœlo viderat maturum.

SENIO, ANNIS ET FRVCTIBVS GRAVI.

Qualia maturis rumpuntur turgida granis,
Cocta Hyperiono, Punica mala, foco:
Talem Mors reperit, fœcundæ fila senectæ
Quando DVCI *secuit, Boica terra, tuo.*
Qui quoniam cupidis tandem maturuit Astris,
Non illum RAPIVNT *(desine flere.)* LEGVNT.

Atque hoc quidem non iniuriâ: quando fruges eò referuntur, unde incrementum acceperunt; neque aliò abijt Principis Animus, quàm unde exierat, ut rediret; æquâ cum Patria factâ divisione, cùm Cœlum duntaxat fructus repetat, quos dedit; præstantissimæ huius Mali Stirpe hîc relictâ; Superi boni! quàm fertili? ut quæ etiam, si-

radica

radice ſua, & Lectiſſima Mala fert, & feret. Quid? quòd etiam Arboris huius Truncum terræ commendavit liberalis DEVS, felicẽ & Stirpiũ & Fructuum parentẽ: CORPVS, inquã, quod, cùm adhuc Beatitatis exſors ſit, iacet interim ſanè in quã

NOBILI TVMBA,

quia in cumulatiſſimo rectè geſtorum aceruo; Apum ſcilicet ingenium imitante GVILIELMO; quæ, ut pretioſam mortem oppetant, in Electrum ſeſe inſinuant; Poëtâ epitaphium addente:

Mors, inquis, pretioſa fuit, cùm tumba fuère
Formicæ, Scythico ſuccina ſtricta gelu.
Erras: illa parum Mors eſt pretioſa, ſepulchri
Duntaxat pretio nobilitata ſui.
Præſtant his fatis tua, Princeps Maxime; Funus
Virtutum es Cumulo nobile, non Tumulo.

AEſtum è pulvere, & è fumo ignẽ colligimus: Atq; ideo, licet animi Principis penetralia ſcrutari non licuerit, pronum tamen nobis erat, è ſignis externis cognoſcere, in Guilielmi pectore, ardentiſſimam divini amoris officinã extitiſſe. Sive enim audiremus, rerum humanarum vanitatem aſpernantem, ſive ſuas ipſius miſerias conquerentem, ſive deniq; inter crebra terræ faſtidia unum identidem cœlum anhelantem, facilè intelligebamus, peregrinis eum flammis torreri oportere, qui toties, támq; altùm in ſuma fortuna ingemiſceret. Intelligebamus hoc, &, quod res erat, vel è vidui Columbi gemitibus augura-

INITIVM IMMORTALITATIS.





HEVS
TV! PRÆTOR TE
VOCAT: SI
VOLES, DVCAM; SI NOLES,
TRAHAM.

ETESIÆ PERENNES.

IVSTVS, CVM A MORTE PRAEOCCVPATVS FVERIT, IN REFRIGERIO ERIT.

SAPIENT. IV.

bamur; ſed importunè tā ſancta interpellare ſuſpiria non auſi, exſpectavimus, dum Guilielmus eheu! tandem his ipſis favillis extingueretur, facto vel hoc memorabili, quia ſoli morienti tempeſtivo. Nunc ſopita quidem ſunt illa incendia, non deleta; imò ardet etiamnum Guilielmus, non minori igne, ſed

MITIORE ÆSTV,

Vſſerunt rapidæ GVILIELMVM ſæpe favillæ,
Incolit exoſam dum miſer exul humum.
Non illas potuit frigus reſtinguere flammas,
Aura nec immodicos lenijt vlla focos.
At nunc, CHRISTE, tuos meliùs mens ſuſtinet æſtus,
Ipſe ſibi Princeps *factus vt VMBRA fuit.*

Quemadmodum enim, ut penicillum demonſtravit, marita Vitis Vlmus, eam inumbrat, iam mortuam; ita Poëta exiſtimavit, GVILIELMI Sui Animam, poſt tam calida Vota, & Fata, ſub Vmbra alarum CHRISTI refrigeratum iri. Neque verò ſenſitis perperā, nunquā minùs Poëta. Nam, licet arderet illa Sponſum ſuum, quàm cupidiſſimè; at temperatus tamen eſt amoris æſtus, quia non admittebatur ad thalamum, niſi

PRONVBA MORTE.

Quanquam nec iſta tanti amoris vinculū ſoluit,

ſed

ſed arctiùs conſtrinxit. Audi ipſum GVILIELMVM, novas ſibi uuptias lætum occinentem.

Vlmo cum ſocia quæ ſunt connubia Vite,
Hæc tecum Domino ſunt mihi, CHRISTE, *meo.*
Infeſtus Noſtrum neque Morbus ſoluit Amorem,
Nec minuit gelidi triſtis hiems ſenij.
Ipsáque dum tentat nos Mors divellere, iungit;
Dúmque ſecat vitæ ſtamina Parca, facit.

Ac tam denſa quidem, ut rumpatur citiùs Atropos, quàm rumpat. Sciebat hoc Pictor; ideo perſonatum Principem Leonino ſchemate, inter coronatas metas collocavit; ubi, poſt emenſum mortalis vitæ curriculum Imortalis victor quieſceret. Quem quia implacata Mors & iaculo adhuc & curſu inſequitur, neque tamen aſſequitur; hoc nos ei ſuper aſtra accubanti, lemma adſcriſimus.

TVTA QVIES.

Sæpe dabat ſuperæ ſpectacula grata catervæ,
Creber Olympiaco victor hic in ſtadio.
Nunc illi Tutam conceſsit meta Quietem,
Meta coronatis ritè cacuminibus.
Ergo quid inſequeris fruſtra Mors invida? teli
Eſt extra iactum iam procul ille tui.

Sed quid Erinacius notabat, Leoni adverſus? eandem ipſam Quietem. Vt enim iſte inter comportatas fruges, etiam mortuus arcet canes, ita hoſtes
ſuos

suos GVILIELMVS; felicior in hoc Annibale, Spolia detrahête, ut redderet, & obtinente victoriam, ut perderet. Nunquam ampliùs Victori Nostro, inimica Mors palmam eripiet, etsi vitam tulerit; nunquam illum opibus, quas sibi comparavit, perinde ac corpore exuet; ut iure Poëta celebret gloriosum Heroëm à tam

POTENTI FATO.

Hesperidum lectas inter, sua funera, fruges
In medio sepelit tutus Echinus agro.
Non audent illum rabidi lacerare Molossi,
Non tentare sagax naribus Aegla suis.
Nec te Cerberus aggreditur, GVILIELME, sepultum
Innumeras etiam quem videt inter opes.


AESTAS sequitur præcedentes Etesias; & quidem FRVGIFERA, vel te colono, mi GVILIELME: nec enim illæ spicæ, quæ maturæ iam, & suo pondere depressæ, natale solum quasi nauseant, atque despiciunt, aliud docent, quàm copiosissimam meritorum tuorum segetem; quam quia terra non capit, ideo Cœlum amplius tibi horreum pandit. Atque hinc, quoniam messis illa pridem

MATVRVIT.

adeóque iam diu messorum postulat manus, parum habuit audax Poëta, ad metendam hanc segetem, auxilium Parcæ sollicitare.

Quid

ARDVVM ITER.



CON-
VIVIVM
LVMBRICIS,
BVFONIBVS-
QVE DEDI,
IISDEM TV
QVOQVE EPV-
LAS PARAS, ET
DABIS LACRV-
MANTE MVSICA.

ÆSTAS FRVGIFERA.

TEMPORE SVO METE-
MVS, NON DEFICIEN-
TES.

AD GALAT. VI.

Quid dubitas, Lachesis, quid tempestiva resistis,
Scindere decrepiti tenuia fila Senis?
Prona vocat, gravido demissis pondere culmis,
Ipsa secaturas messis adulta manus.
I; mete: lecta diu, seges optat in horrea mitti;
Matura est; glebam nauseat illa suam.

Et verò ratio est, quòd putidam Terram fastidiat tam pretiosa Messis; neque enim ea vel avenacea, vel triticea est; cuiusmodi Triptolemum Ceres edocuit; sed, (ad quam se tendere, veterum Advocatorum quispiam aiebat; cùm, pro pretio causas dicturus, forum adiret:)

MESSIS AVREA.

Dixit, adauratam, Stratocles, se tendere MESSEM
Facturus dubio verba patrona foro.
Munificus nostro cedens GVILIELMVS *ab orbe,*
Messurus similes numquid abit segetes?
Verba dedit Stratocles tantùm; GVILIELMVS &
Quid mirum, si quæ severat, illa metat? (AVRVM.

Gratus labor est, inquis, AVRVM METERE; non item, SEMINARE: at utrumque GVILIELMO perinde fuit; ideo meruit, priore & SABBATVM finire, & SABBATVM inchoare sed PERPETVVM.

Hinc Poëta:

Iverit ætherias, quo tempore, noster ad oras,
Si quæris, Princeps, HORA SECVNDA *fuit.*

Si,

Si, quâ luce, rogas; ea Magnæ ſacra Parenti,
Septima ceſſantem finiit Hebdomadem.
Si, quæ tempeſtas? Cœlum fuit vndique SVDVM,
VDA *tamen largis Terra madebat Aquis.*

Lachrymabatur nempe, nimis eheu! citò raptum ſibi Ducem, quem pridem optatum, ſerò tandē ſe recepiſſe gaudebat Cœlum. Atque adeò ſereniorem eâ die explicavit vultum, ut palàm omnibus faceret; Principis occaſu, novam ſibi lucem fuiſſe exortã. Quid igitur Mortualis Larva Cornucopiæ iactat, hortíq; triumphat opibus, tanquam prædâ hoſti ereptâ? Triumphet ſanè, at non eo modo, quo, cùm Maiores noſtros ferali Pomo afflixit. Non ſpolia ſunt hæ fruges, ſed ſpoliorum ſigna; non Tropæa amiſſæ à Duce Noſtro Victoriæ, ſed receptæ: ut vel hoc etiam GVILIELMVS, ipſo ſit,

ADAMO FELICIOR.

Illicitúſue iterum peperit fera funera Morſus,
Et nova Mala novi cauſa fuêre Mali?
Ditia námque gravant victrices Cornua palmás,
Et Larva hortenſes oſſea iactat opes.
Non ſic, O Princeps, non ſic: Bona ſcilicet inter
Plurima fortunæ ſunt quoque MALA *tuæ.*

IN PVNCTO FINITVR ITER.



QVID LVGES BOICA? PRINCIPEM OBIISSE? OBIIT, SED NON ABIIT. INHAERET ENIM OMNIVM ADHVC OCVLIS, ET VIDEBITVR, QVAMDIV HI VIDEBVNT.

SVMMA VOTORVM.

DESIDERIVM HABENS DISSOLVI, ET ESSE CVM CHRISTO.

AD PHILIP. Cap. I.

ITER IMMORTALITATIS.

QVàm id iure suo postulat VETERANVS MILES noster? quàm vel ipso Hoste non invito? qui ob id unum adversari tanto HEROI videbatur, ut sua vulnera posset, & huius Victorias numerare. At verò, quàm multiplex fuit, & copiosus? & unus ille Bonorum Lictor, fastidiosa absque DEO suo vivendi Mora, quamdiu pertinax obstitit, & invitum in Arnâ & Pulvere lutulenti Orbis huius occupavit? RETIARIVM credidisses fuisse, ijs Laqueis armatum, quibus olim Magnus Asceta totum vidit Mundũ incingi; unde evadere, nisi modestissimè submisso, nulli liceret. Et quia ille imperare MORTI, ut manumitteretur, velut rebus ceteris, non poterat, ad Vota confugit, & intimos affectus, totque Tela misit, quot suspiria: donec ipsum denique Agonothetam evicit, ut excedere Fesso liceret, nusquam, nisi in Patria, quieturo. Ostentare vulnera necesse non fuit: Neque verò poterat Gloriosus Princeps, cui plus Nivis asperserat, & amabilis Candoris, Longæva Militia, quàm Ruboris cruenti, quem multi inhonestum sæpe Missionis titulum habent. Ipse diuturnus Amor, & assidua Cœli suspiria impetrare suo iure debebant, quod TYRONES quandoque, & nullis dum Victorijs noti, à liberali tamen Mune-

Munerario Deo consequuntur. Id posteaquam demum obtinuit, eheu! quod alijs omnibus doluit, hoc uni, qui accepit, gratissimum Vulnus fuit, quod ultimum MORS fecit: Solus enim sciebat; quàm mortiferum non esset, quod ne sanguinem quidem mitteret, liberalissimè pro his Aris, & Focis impendendum: Sciebat, inquam, Militē non desinere Generosum esse, quamvis more veteri, Arma poneret, & Votiva Templis Anathemata suspenderet; quod Pictoris Emblema delineavit, additâ Epigraphe, quâ salutandum à Numine Principem credidit ad Metam accedentem, cui, post tot fortissimas Pugnas, DIGNVS RVDE videri meritò debuit. Quanquam non omnia, quibus nos Vivus defendit, eum Arma seposuisse Poëta existimârit;

Exuvias Martis, Galeámque Hastámq; Sparúmq;,
Scutáq; laudati tela ministra sagi;
Miles Gradivi defigit ad ostia Patris,
Cui partâ satis est denique laude frui.
At sua GVILHELMVS *dum Cœlo consecrat Arma:*
Vult CLYPEVM PATRIAE nos retinere sua.

Electorem videlicet Filium, Magnum non Patriæ modò, sed & orbis Propugnaculum: quem abituriens Posteris reliquit Sui Imaginem, ut modestiùs Archetypi absentiam ferremus: & Maximi Ducis Fortissimum legatum hostes trepidarent.

Habe-

Habemus sanè partem Hæreditatis, quam à Tanto Parente accepimus, longè præstantissimam, novum in Filio Patrem: Luculentum est Patrimonium, quod ex Asse possunt tot Orbis Partes capere; quíque in hoc rerum Humanarum Labyrintho, suopte ingenio fallaci, cæcoq;, nunc autem, ambitiosis conatibus longè intricatissimo, Filum reperit novus Theseus, quo se, suósq;, felicissimo ingenio, ex tam periculosis ambagibus educeret. Quas cùm videret identidem GUILIELMUS, & ingemisceret; neque Modestia tamen evolare sineret, securissimis licet Virtutum pennis alatum; & Candidum Pectus fraudes, dolósque respueret, expugnavit Marte tandem, & Auro, belli Neruo, evicit inacessam Cœli Arcem; quod ille non onustis Asinis impositum per viarum angustias premisit, sed in senilẽ plerumq; & languidam ætatem, quam erogatæ stipis pondera sæpius, quàm gravis ætas, inflexêre, exoneravit: ex eorum ordine cùm alij subinde, aliíque, longè faciliori artificio, ex hoc Orbis carcere eniterentur; didicit tandem, à Prodromis suis, & ipse viam; secutúsque est, felici pede, opes suas, cum opimis spolijs, recipiendas: Iámque in illo Securitatis domicilio itineris pericula despiciens Triumphali voce

EVASI.

clamat, & vestros errores, verè Aureo consilio,

ſuperavi. Quanquam non ad eum modum, quo Fabularum materia Theſeus, ad cuius exemplum deceptus pictor mea ſuſpiria, & ingenium adumbravit: Nam

E Labyrinthæis Aegides provolat Hortis,
Cecáque Gnoſiacis deſerit antra dolis;
Annexi retinet dum fraude volumina lini,
Et duce perplexos Glomere vitat agros.
At mihi ni Lacheſis rupiſſet Fila, manerem
In Labyrinthæis Flebilis Erro plagis.

Hæ nimirum erant catenæ diſſecandæ, à quibus omnes Mortalium nugas ſciebat pendere, quæq; in glomum, præ Gordio nodo, implicatæ, expediri meliùs non poterant, quàm uno illius Orbis domitoris, non Alexandri, ſed Mortis telo. At verò, cũ diutiùs tã optabile vulnus differretur, credidit cupidiſſimus Princeps, nõ jã, amplius inter Horti illecebras, è quibus interdum evadere, non poſſe etiam volupe eſt; ſed velut totius ſpei Anchorâ convulsâ, & Lembo naufragante, inter Oceani turbines circumferri. Eius opinionis argumentum dedêre vberrimæ lacrymæ, quæ crebrò nimborum inſtar fluxêre: ex quibus ille, tanquam ex amarâ Freti undâ, quoties oculos ad Cynoſuram ſuam, & amata Cœli ſidera convertit? quoties viſo littore, & illo Quietis Portu indoluit, vix ſe illuc, eiectis dudum, etiam cum Imperio, opibus,

opibus, posse adnatare? Quos naufragi labores Pictor haud alieno schemate expressit; cùm eum iam periculi securum depinxit; id quia Poëta censuit ex aliorum arte, consilióque, qui id genus discriminis aliâs subijssent, factũ esse, ita cecinit.

IN PORTV NAVIGO.

Naufrage funestas inter jactate procellas,
Quàm madidis spectas littora luminibus?
Remigibus possis illuc vt pergere palmis,
Obvia de fractâ sumis asyla rate.
Quid GVILIELME, *facis, paribus deprẽsus in vndis?*
Sandapilæ TABVLAS *Ingeniose rapis.*

Nam hæ vnæ denique ex omni divitiarum apparatu supererant; tanto chariores, quanto te voti propinquiùs damnârunt: quas ad hanc ipsam Expeditionem cùm multò ante, quàm necesse fuit, comparâsses, iussisti interea tuarum rerum omnium Moderatrices esse: ad eas Tabulas referebas tam quæ ACCEPERAS animo forti, quàm quæ liberali EXPENDERAS; sat gnarus, in Sandapilæ arcâ non tam Cineres tuos, quàm Rectè Facta, sine Invidia, quietura. Denique factum est satis animo tuo, postquam & sacri Belli labores fortiter, & Errores Orbis cordatè, & Vitæ procellas patienter sustinuisti, ac

TANDEM ALIQVANDO.

Carcere ab emeriti discessit corporis Hospes,
Libera quæsitas Mens aditura Domos.
Hæc licet assidui fuerint suspiria Voti;
Non tamen â luteâ fas fuit ire casâ.
Sed postquam invasit Lachesis tua tecta, frequentes
Lumbrici capto mille dedêre vias.

Hoc enim Pictor voluerat expressum, cùm ex Sceleti crate alatum cor pinxit ad Patrias sedes expeditum. Atque hos Tumuli incolas, fœdissimum Aulicorum genus, amasti tamen: quia carceris tui Ianitores scivisti, nunquam clausuros deinceps fores, quas semel patefecissent: habésq; illis hanc iam gratiam, ut Principe Convivio excipias, & invidendâ quadrâ, quòd ergastulo diffracto simul cupitæ Aulæ ostium recluserint

SATELLITIVM PIETATIS.

NVNC quos Comites habueris, & Stipatores felicissimi itineris, etsi difficile est memoratu, fas tamen erit existimare, non minori Te cum Pompa Cœlum ingressum, quàm veteres olim Pompeios, ac Cæsares, Victricem Romam; quando Tu unus Victorijs es clarior, quàm ij simul Omnes. Spectavit autem in illo orbis Thearo militaris Fastus

Crebra

Crebra Triumphales quondam post prælia Currus,
Captivósque inter mille Trophæa viros.
At te quis Superũ maneat GVILIELME *Triumphus,*
Nostra nihil certi dicere Terra potest.
Particulam Magnæ viderunt tempora Pompæ:
Pulchra Codris quondam credita P A L M A *fuit.*

Quam tu solebas etiam in acie habere, sed inauratam, & omnibus apertam; ad quam, velut ad Signa sua concurrerunt Cohortes VIRTVTVM: Illæ tuis Imperijs assuetę, quidni etiamnũ sequantur Triumphantem, cùm Pugnantem cingerent æterno comitatu? Sine quibus cùm nolles vivere, non potes iam tam infidæ amicitiæ opinari, ut desserturas te credas esse, ad agnatas sibi Sedes euntẽ quo cum in Exilio diversari gloriosum censuerunt. Habent hoc amica illa agmina, ut nec Virtutes sint, nisi sint Constantes, &c, vel expulsę, cedant invitæ. Potes hoc ab illis, si renuant, magnis argumentis poscere, ut, quibus Animi tui pulcherrimum Hospitium tam diu concessisti, eædem iam sui Palatij Inquilinũ admittant, quod primo cum illis fædere pepigisti. Sed quid in dubio esse potest, tanquam divortium aliquando futurũ sit, inter tam coniunctas voluntates; cum in Gemmis etiam concordia sit perpetuo nexu ligata, & suam PANTARBAM sequantur aduolantes undique Vniones, si quando in-

MAVSOLEVM
IN MINIMO MAXIMVM.





NE
FORTE
TE FALLAT
HORA TVA;
OMNES OB-
SERVA. NVL-
LA FIDENTI FI-
DA EST.

COMITATVS VIRTVTVM.

OPERA EORVM SE-
QVVNTVR ILLOS.

APOC. XIV.

gemmiferas undas imissa, mirabilis Hamus pendet, nec reduci potest, nisi

HIS COMITIBVS.

Extrahit annexas Prædatrix Gemmula baccas,
Piscatúrque vago lucida saxa lacu.
Ingenio simili, salsis GVILIELMVS *ab vndis,*
Et fastidito profugit Oceano.
Quicquid enim Vitreus Virtutis iactitat Orbis,
Iam sequitur Dominum Posthuma Turba suum.

Imò præit, & officioso studio, quaquâ eundum est, vitam aperit, & Cœli Fores: nam Pedissequas habet alias GVILIELMVS noster. Qui licet parcissimus cętera fuerit Satellitij, hîc tamen Exercitus secũ trahit OPERVM BONORVM, verè militẽ Prætorianum; cui soli fas sit, ex omni numero famulitij, Regium illud Penetrale cum suo Principe subire. Hæ Fruges sunt, & optimi illius Autumni Partus, quos Serenissimi Pectoris calores, velut Æstas aliqua coxerunt: quósque flores candidi iam diu antè præsagiebant, cùm tota GVILIELMI vita vernaret. Pòst verò, quàm cœpit etiam Laudatissimus ille Vertex incane cere, non contentus Pomonam sibi habere obnoxiam, quæ Cœli Apothecis frugifera esset, etiam in Nati Hortis animadvertit POMA crescere, quæ candicantis Senij pręsagio digna iure miramur; Id quod conatus est adumbrare Pictor, cùm florentem arborem pinxit, & Poëta calamo expressit, additâ epigraphe

CVM TEMPORE.

Arboreos fœtus, Decumani pondera Mali,
Quàm de fœcundo ſtipite fundat ager:
Lucet in Alcinoi priùs inclita gemmula ramo,
Præmittitq; nives nuncia Flora ſuas.
Cum cano GVILHELME diu nos Flore beares,
Tandem POMA tuus qualia Natus habet;


Verè Aurea, & Orbi, quem referunt, nuper viſa, & utinam non inviſa. Quæ Tu tamen ita æſtimas, ut præ tuis nolis tibi ad Secundam illam Menſam, quâ iam ſatur æternùm frueris, inferri. Suaviores ſunt tui Fructus, nullâ CVRA corticati, niſi quam vivus habuiſti, ut magno proventu creſcerent. Et creverunt ſanè tanto numero, ut tu, cùm identidem indè lautiſſimè victites, nunquam poſſis, quàmdiu Cœlum erit, abſoluere. Hos ergo Palatinæ indolis comites, tuo itineri aſſignatos, non ſecus habes pereñes, quàm ſuum Phœbus lumen, cùm noſtras Terras obambulat; hoc uno diverſi, quòd, ut Pictor cum Poëta monuit, ſis

SINE VESPERO.

Occiduo cùm manè redux de littore Phœbus
Occupat atratos luce ſerenus agros.
Interea fuſcis obnubilat omnia velis
Nox, Hyperioniâ quæ carvère face.
Sentimus GVILIELME alijs te Finibus ortum;
Noſtra dies etiam plurima Noctis habet.

Ita iam quantumuis ſereno die, nigricant tuâ causâ omnia, & mœſta ſilent; quia candidiſsimum Solem amiſerunt.

TRISTE ACVMEN.



CVM TEMPORE.

Arboreos fœtus, Decumani pondera Mali,
Quàm de fœcundo stipite fundat ager:
Lucet in Alcinoi prius inclita gemmula ramo,
Præmittitq; nives nuncia Flora suas.
Cum cano GVILHELME diu nos Flore beares,
Tandem POMA tuus qualia Natus habet;

Verè Aurea, & Orbi, quem referunt, nuper visa, & utinam non invisa. Quæ Tu tamen ita æstimas, ut præ tuis nolis tibi ad Secundam illam Mensam, quâ iam satur æternùm frueris, inferri. Suaviores sunt tui Fructus, nullâ CVRA corticati, nisi quam vivus habuisti, ut magno proventu crescerent. Et creverunt sanè tanto numero, ut tu, cùm identidem indè lautissimè victites, nunquam possis, quàmdiu Cœlum erit, absoluere. Hos ergo Palatinæ indolis comites, tuo itineri assignatos, non secus habes pereñes, quàm suum Phœbus lumen, cùm nostras Terras obambulat; hoc uno diversi, quòd, ut Pictor cum Poëta monuit, sis

SINE VESPERO.

Occiduo cùm manè redux de littore Phœbus
Occupat atratos luce serenus agros.
Interea fuscis obnubilat omnia velis
Nox, Hyperioniâ quæ carvêre face.
Sentimus GVILIELME alijs te Finibus ortum;
Nostra dies etiam plurima Noctis habet.

Ita iam quantumuis sereno die, nigricant tuâ causâ omnia, & mœsta silent; quia candidissimum Solem amiserunt.

TRISTE ACVMEN.





HEVS TV
QVISQVIS
ES, INCOGI-
TANS CINIS!
ÆNIGMA HOC
SOLVE: SI ME TI-
MERES, MINVS
TIMERES.

SECVRA CVSTODIA.

IVSTORVM ANIMÆ IN MA-
NV DEI SVNT.

SAPIENT. III.

REGIA TRANQVILITATIS.

SEd abdidit Te nimirum inusitatâ Eclipsi DEI MANVS. Vbi enimvero mirabile fuit, potuisse in clarissima luce *Dextera Excelsi* tantum Orbis splendorem abscondi : & nisi nos Bonus Genius tuus docuisset, rei miraculo obrueremur. Posteaquam autẽ vidimus de Nomine tuo litteram, quam annulo expressam prominenti è Cœlo manui ille tuus Achates, ex ingenio Pictoris, inseruit, non potuimus deinceps mirari, si magnis auri radijs minor particula Nominis tui nonnihil tegeretur. Illud satis fuit, locum in hac manu habere, quam nullæ Regum Curules æquant; cui iam addictus sis, ut Poëta vult,

AETERNA SPONSIONE,

Induit arrectam Genij quæ Gemmula dextram,
Quiq; sedet Dominis annulus in digitis,
Vnica defuncto de Principe littera toto est,
Pars de Gemmato, sed pretiosa Viro.
Non ego nunc quæro, digitum quem vestiat Aurum;
Articulus dextra hic omnis AMORIS erit.

Quia totus Amor Deus; Nidulum habes profectò optabilem, GVILIELME, ruinæ deinceps securus & iniuriæ. Nemo te lacessere volet; nisi qui longiores manus Regibus putat, quàm Deo.

Ipsa

Ipsa Mors ius suum transcribit; quia te in hanc Palmam ex Apellis iussu depingit, ex quâ MANVMITTI nunquam postulabis. Tu verò perge sanè, inscite Pictor, licet cetera omnia deformes, hunc tamen Principem suis coloribus, quia tuis non potes, describere: aut si quem de tuis miscere vis, candido utere, ad imaginem nullo atramento fædandam. Perge, inquam, etsi quam tu exaras

NON EST RASA TABVLA.

Parrhasijs depinge notis nove Nomina Apelles,
Pinge, tuo quamvis digna colore negem.
De Tabula nemo jubeat deponere dextram;
Nulla abolere tuum spongia debet opus.
Nam licet in nullo ditissima dextra sit ære,
Hoc unũ NOMEN CONTRAHET illa tamen.

Et arctissimè complectetur, ut quod solum in DIGITOS MITTENDVM existimat. Vide proin', quàm pretiosum sit hoc Nomen, cui conservando tota Manus impenditur, cùm Orbis Machinæ tres digiti sufficiant. Difficilius sanè erit tam nobile Pignus huic Palmę extorquere, quàm suam Herculi Clavam, quem addidit huic Emblemati Pictor, manu Pomum tenentem; Epigraphen Poëta

NVSQVAM TVTIOR.

Herculeâ seu Clava manu, seu Poma morentur,
Clava suo tuta est, Pomáque tuta loco.

Te GVILIELME manus quia fortior Hercule servat,
Iam potes in nullo tutior esse loco.
CERBERVS ipse tuam nolit vexare quietem:
Nam minimus NOSTRI est HERCVLIS ille labor.

Et quanquam in tam Cœlesti Culcitra sedere per se sit iucundissimum: tamen quia delicias illas, inexperti, non eo, quo par est desiderio appetimus, admonendi sæpe sumus, sæpe etiam trahendi. Quam vim divinæ dexteræ inesse sensisti GVILIELME, cùm intimis stimulis, ut illuc properares, movêrere; & quia quidquid Magneti agnatum est, arcanis vinculis ad eam Gemmam trahitur, ita cùm tu Divinæ Menti per quàm esses voluntate coniunctus, facile fuit illuc attrahi, quò nemo est, qui non, si sapiat, accurrat

SPONTE SVA MELIVS.

Quod in Magnete Pictura docuit, & in hunc sensum Poëta.

Ad Gemmam veniunt attracta Metalla potentem,
Agnatóque volunt sponte sedere loco.
Ah! quoties hæc vota tui sunt credita sensus,
Tu quoque cùm cuperes, ô GVILIELME trahi?
At quia nulla Senem Terræ te Gemmula movit,
Nulla fuit toto Gemma cupita solo.

Sed illa, quæ Pectoris tui intimos sensus allicere etiam alia cogitantis potuit. Ergo in illis iam suavitatibus consides, velut in manu Annulus, & in Annulo

Annulo Gemma; quod tibi non minùs illic est voluptati, quàm apud nos æternæ gloriæ.

PRAEMIVM AETERNITATIS.

HAbent hoc Maiora in Cœlo Sidera, ut in sublimi orbita discurrant quidem, & magnis itineribus vagentur; nobis tamen quieta esse, & propè fixa incumbere videantur. Occupasti Tu quidem Serenissimæ Boiariæ Sol, inter agnata tibi Sidera gloriosissimam Orchestram tuam, sed nō cessasti perinde etiam nobiscum versari, quos ardentiùs iam inter Cœli Faces amas, quàm cùm nostra frigora experireris. Quæ illic iam tua sit Gloria, quis Æternitatis Triumphus, nobis neq; consilium est dicere, nec verò etiam notitia; unum scimus, quòd *Nimis honorificati sint Amici tui Deus*, & supra humanas Panegyres: Quo verò loco apud nos, post Exuvias mortalitatis positas, quo Honore, seu, quod mavis, Amore habeâre, ex tot faculis Mausolei tui intelliges, quas tibi omnes Pectoris nostri ardores accendêre, plures addituri, nisi vel ob has etiam tuos risus vereremur, quas Soli accensas tecum ultro fatemur. Ipse Lessus, quem damus, quia tam siccus est, magna incendia testatur: aut, si quæ fluit Lachrima, Lætitiæ est, quæ suos etiam Fontes habet, Gloriæ

tuæ certissima Tessera. Persimilis illa est Ode alteri, quam

Ad vada Mæandri concinit albus Olor,

quem telo transfixum nostri Luctus Symbolum appofuimus, cuius est

LESSVS SINE LACHRIMIS.

Vltima Amyclæam simul occupat hora Volucrem,
Iámque diu canæ Parca minatur Avi:
Ipsa sibi cantat moritura Præfica lessum,
Et meditata pio carmine læta prait.
At Tua si totus cantabit Funera Mundus,
Nil mirum, vita est tam NOTA Pulchra tua.

Quam Orbis tum solam usurpet, cùm vult tibi Epinicium canere. Vivis, ne dubita, vivis etiamnum apud nos, & spiras, sed mera Balsama Tuarum Virtutum, &

PERPETVVM VER.

Florida quod Tusci redolent Violaria Pæsti,
Quódque Semiramio, quæ volat Aura jugo.
Hoc tua regnatis jam spirat Vita Colonis,
Hoc Tua, quæ vitæ par fuit vrna, fragrat.
Indica nil opus est vt inungant Balsama Corpus,
Vel grati in Tumulo jam sat Odoris habes.

Ille usque eò nos suaviter afflat, ut, si mihi fas foret, usurparem ego quoque in Amoris nostri Canticis, *Oleum effusum Nomen Tuum*: Sed tu mavis solemne tuum tenere, & audire,

Tan-

CERTÆ VERTIGINIS VERTEX.



QVI
CVTICV-
LAM, QVI
AQVALI-
CVLVM CV-
RAS, PRO VER-
MIBVS CVRAS,
TVI OBLITVS.

VTRINQVE IMMORTALIS.

GLORIA HÆC EST
OMNIBVS SANCTIS
EIVS.

PSAL. C. XLIX.

Tanquam Aqua effusus sum, Quod tuæ Virtuti damus & Modestiæ; ita tamen, ut Aquulam illam Cinnama sudaverint, & Rosæ suderint, & Lilia Violæque lachrimârint: aut si Fontanam intelligis, Illam accipiemus, quam ex *Torrente Voluptatis* hausisti: ubi credimus profectò DIFFLVERE te iam suavitatibus, & nobilissima Sparsione totum Pectus inundare. Nobis tamē quia illos Cœli Rores nondum est concessum libare, nostris te iam conferimus Odoribus, imò efferimus; quia quidquid Arabes nôrunt fragrantiæ, à tuis Virtutibus superatur. Sunt sanè etiam nostrarum Arborum raræ &

PRAETIOSAE LACHRYMAE.

Quando
Larga Palæstinæ sudant Opobalsama silvæ,
Stagnat odorato terra Sabæa lacu;
Cæsa simul modico discedit vulnere planta,
Et brevis exiguis arbor hiat maculis.
Nos quoque Virtutes, postquam te Parca cecidit,
SVDATAS Vitæ novimus esse tuæ.

Ita laboriosè Tu eas identidem coluisti: Neque tam constanter suum fert Atlas Cœlum, quàm tu hæc Cœli Pignora. Et ultimus etiam, quem in Extrema linea fudisti, sudor Virtutis fuit, omniū miseriarum lavacrum, & à sola Dei dextra detergendus. Nunc tu Cordatissime Princeps, Impera, Veta.

Veta, Iube, Nega, quidquam de tuis Rectè Factis aut ſcribi, aut dici: digitum quidem potes noſtris labris imponere, & Sigaliones reddere; ut autem ne reſpiremus quidem, & de ſuaviſſima Aura Virtutum tuarum ſpiritum trahamus, id verò nõ poteſt Miſeris clementiſſima Mens tua negare, quibus non tantùm Aëris huius uſum, ſed vel Animæ tuæ conceſſiſſes. Et vide, quàm parcere tuo Imperio potuiſſes, ſi eius tibi in menrem veniſſet,

Nitimur in vetitum ſemper;

Nunc ipſa hac voluntate tuâ primùm porrexiſti nobis Tubas Laudum tuarum, dediſti calamos in manus: iacent Chartæ, Tabulæ, Libri, Stili geſtientes de tuis rebus agere, eò avidiùs, quò obſtitiſti magis, diſceſſurus à negligentibus Imperium tuum. Audies encomia tua poſt multa ſæcula


ORBE NVNTIO.

Proinde

I vaga per geminum GVILIELMI Littera Mundum,
I, vel Pegaſeis, vt nihil obſtet, equis;
Principe laſſetur defeſſa volumine dextra,
Scripta nec in tergo littera claudat opus.
Materies Princeps oculis eſt omnibus vnus,
Et major, quàm quem perbrevis Vrna LEGAT.


Hic

HIC RHODVS HIC SALTVS.



QVID LV-
GES BOICA?
EHEV! IAM
NOSTI. MINVO
TAMEN DOLO-
REM, NON QVOD
COGITEM, NECES-
E FVIT; HOMO
FVIT; SENEX FVIT;
SED, QVIA TALEM SVC-
CESSOREM HABET.

IMMORTALITATI S.



OPORTET MORTALE HOC INDVERE
IMMORTALITATEM. 1. Cor. 15.

EXVVIÆ MORTALITATIS.

Etiam lutea Pyramis, in Ægypto, inter marmoreas stetit; hoc ipso caput ambitiosiùs efferens, quòd crevisset ex Limo, eóq; non temerè comportato, sed qui conto, in uliginosi lacus fundum immerso, retractóq; velut invitis Aquis adhæserat; quò confidentiùs etiam hæc Tibi Pyramis assurgit, GVILIELME Princeps, etsi paribus utrinque fatis, eandem originem profitetur: sed nimirum tibi imputat, quòd lutea est, & planè terræ filia, gemmea futura, si illi licuisset ex Virtutibus tuis crescere. Nunc rudes calami convehere Limum iussi sunt, quem in Limpidissimis tuis Fontibus, & ægrè reperire fuit, & fere lacrymæ absterserunt, quæ te maximè properantem subsidere in pulverem Mortalitatis, optantémq;, ut tui præter Cineris, aut Luti pugillum, nihil superesset, non patiuntur pervenire ad summam votorum: Fœcundissimus est imber lacrymarum; neque unquam vivacior est Amor, quàm cùm plorat, & partem animæ, ex oculis, in sua desideria transfundit. Nescio, cuius Senecionis dictum fuit, duplici irrigatione ad id ætatis se pervenisse; Oleo Foris, Mulso Intus complutum, non potuisse exarescere. Tu Annos tuos Pauperum lacrymis imputasti; quibus factum est, ut Cœlum ambire non posses,

posses, nisi candidatus, & capite tam niveo, quàm fuisti pectore. Illis tamen Aquarijs tuis, & Imbricitoribus senex nondum visus es; cùm omnes tuo succo viverent, & hoc ipsum, quod flebant, ex tuis stipendijs flueret; ut proinde illis lacrymas siccare, & fontes obstruere, esset animam intertrahere, cùm tamen illi te fecissent immortalem, veteris oraculi Fide, *Eleemosyna à Morte liberat.* cuius si Telum in te nihil potuit, ô Magne Princeps, vix erit in ipsis MORTALITATIS TVÆ EXVVIIS terreni aliquid pulveris, & luti, Pyramidi struendæ. Certè Pictor, iuvenescentis, in Medeæ labro, Æsonis Imagine basim animavit; Poëta verò ex fabula Historiam fecit, pretiosâ Epigraphe subiecta.

THERMÆ IMMORTALITATIS.

Aesonis extoctum senium, reducémque Iuventam,
Herbis affingit Fabula, Colchi, tuis.
Ars tibi perpetuæ, GVILIELME, reperta Iuvẽtæ est:
Codrorum è lachrymis balnea nata subis.
Quódque aliàs rident Medici; tu pharmaca Vitæ
Propinas alijs; te Medicina iuvat.

Etsi enim salutares corpori Aquæ sunt, quæ per Auri venas fluxêre, vel abluêre Argentum: nullarum tamen certior est Medicina, quàm quas Liberalitatis Aurum provocavit, & cœlesti vi imbuit; quas si Mortales, ex merito suo, agnoscerent,

rent, nec Baiæ pretium haberent, præ his acidulis, & multò cariùs pauperum oculi conducerentur, ad fundendas vitales has nō guttas, sed Gemmas, quibus tibi tam Largiter affusis non modò *renovata Iuventus est*, GVILIELME, sed *datæ* etiam *pennæ, sicut* Aquilæ; Nam & illa cùm gravatur senio, & pigrarum mole Alarum, Thermas suas habet, ex quibus subuolat ad Solem, & cum illius ignibus Iuventam imbibit, senectute, cnm alarum defluvio, abstersâ, utilissimâ iacturâ. Proinde neque hoc Pictor neglexit pingere; sed multò minùs Poëta erubuit, Te, quem sæpe *Leonem* dixerat, nunc adorare Alatum; visus tamen non illi soli es, heu! nimis quàm

RARA AVIS.

Solares: simul ore bibit Iovis Armiger Ignes,
Defluit ala senex, & nova prodit Avis.
Tu quoque sic nuper juvenescere visus, ad Astra
Ivisti alato, Dux GVILIELME, pede.
Quem procul vt vidit gens paupertina volantem,
Post quot, ait PHOENIX, secula, talis erit?

Ita illi simpliciter, & candidè, & ex veteri sive opinione, sive errore, qui Phœnicem unicam Avem fecit: Nos alterum pridem vidimus, sensimus, adoravimus: & hæc ipsa Phœnicis nostri palmaria gloria est, propagatorem reliquisse humanæ

manæ felicitatis, neque Aureum sæculum secum extulisse. Verùm illud miraculo est, etiam â rudibus doctioris linguæ, quidquid GVILIELMI superest, RELIQVIAS dictas esse, eo affectu, quo Divorum pignoribus, Cineribúsque id nomen datur; inter quos, illi quidem, privatâ Apotheosi, te, GVILIELME, pridem collocârunt; ut alia argumenta deessent, tanti nominis dignationem Christi voce tuituri, qui *Beatos Misericordes*, non uno oraculo, pronunciavit. Poëta â nomine non abhorruit; & cùm Pictor serpentem, leberide positâ, vernis induvijs decorum pinxisset, neque dubium ulli esset, quò notum revirescentis ævi, & abiectæ Mortalitatis symbolum pertineret, carmini titulum ex ore vulgi fecit

RELIQVIÆ.

Vixisti ingenio mitis, GVILIELME, columba,
Serpentis tamen in funere, visa nota est.
Exuit hic senium, veteri cum pelle: Senectæ,
Nostra etiam, Exuvias possidet, Vrna, tuæ.
Ah tantùm Exuvias! Te, Te pia Vota requirunt:
Cælum ni Iuvenem vis dare, redde Senem.

Et hoc rogant, ut impetraturi; neque cogitant, Votum suum cum tua iniuria coniunctum; neque Pios se esse posse, ut non simul crudeles sint; cùm vitam tibi dare nequeant, nisi eripiant; quod deni-

denique verè eſt, amando occidere. Malè de cœlo, terráque iudicat, qui te indè abſtractum, huic vult reddere, non modò Emeritum, ſed Coronatum. At enim ſua illos cauſa Oratores facit: Fortunas, felicitatéſque ſuas vident tecum exſpirâſſe, quas, nihil mirum eſt, ſi magnis clamoribus conantur excitare. Et Tu quidem ita illis de Cœlo videris meritus, ut pro te vota concipientibus, neque ſurdum eſſe poſſit, nec difficile, quod cum Orbe terrarum ita Liberalitate tua complexus es, ut â te locupletatum, exornatúmque nihil dubitârint dicere: Cuius enim, è Beatis illis incolis, Aram non excoluiſti? Cineres inaurâſti? Memoriam conſecrâſti? Angeli, per te, etiam in terris ſuum Cœlum habent. D. Carolus, ad ſuæ Ædis ſplendorem, penè velut olim in Purpura, erubeſcit. Magnus Nicolaus Munifici titulum pridem tibi remiſit, & tribus ſportulis, quas Virginitati in tuto collocandæ, in gurguſtium iniecit, denſiorem nunc noctem quærit, tantopere â te, in Liberalitatis ſparſionibus, ſuperatus; quem Tu tamen, illius potiſſimùm facti admiratione, Nobili Tēplo dignatus es. Sed nolo adnumerare Cœlo, velut immemori, officia tua, in quo etiam pocillum fontanæ pretium habet, & ſuſpiria auro ſcribuntur. Sed & tibi moleſtum ſit, tuorum Factorum titulos in charta extare,

extare, qui Nomen tuum etiam Marmori negâst nimis vile ratus cælum statuariorum; cùm etian Traiano vitio datum sit, quòd in suo nomine pe omnes Parietes serperet: Proinde Poëta ex affectu & animo tuo scripsit.

NON SVM HERBA PARIETARIA.


Si, GVILIELME, Tuum cunctis stet nomen in Aris,
Quas posuêre tuæ, vel polière Manus.
Omnia saxa canent, GVILIELMO Patria debes,
Quidquid Virtutis, vel Pietatis habes.
Sed tu, marmoreis spretis præconibus, optas
In solo Vitæ nomen habere Libro.

Habe, ut nactus, Felicissime Princeps; etsi neque hîc evinces, quin nomen tuum Modestiæ crustis abditum passim emergat in lucem, opertorio deruente; quemadmodum etiam Sostrati Phariæ Turris Architecti nomẽ posteritati innotuit, cùm cœmentum, quo oblitum erat, defluxisset; neque enim minùs splendida monumenta tua sunt, quã igniuoma illa Turris fuit; & verè dici potest, Te Principibus omnibus, ipsíque adeò orbi terrarum facem accendisse, utinam secuturo!

IN FINE NE CORRVMPAS.

TERRET
TE VVL-
TVS MEVS
DELICATE?
TERRIBILIO-
REM VRNA TE-
GIT. HVNCTV SI
VIDERE NON VO-
LES, OLIM OSTENDES.

LIBERTATI S.



LAQVEVS CONTRITVS EST, ET NOS
LIBERATI SVMVS. Psal. 123.

LIBERTAS CAPTIVO.

PSaphon vani capitis homo, vocales Aves, hæc tria verba fari doctas, PSAPHON EST DEVS, magno numero, è cavea manumisit, illarum garrulitate sibi nomen, famámq; Divinitatis conciliaturus; adeò diverso à te, Magne Princeps, ingenio, ut ipsas etiam Musas elingues reddere cogitâris, funus tuum solo silentio celebraturus: Nam alioquin ancupio nihil opus fuit, ad illaqueandos præcones, qui Nomen tuum addiscerent, & differrent per orbem: Facturi id fideliùs homines erant, pridem, à te, vinculis ingentium Beneficiorum capti, qui tamen nihil magis formidârunt unquam, quàm Libertatem;

Ita ista nimis lenta vincula sunt escaria,

adde & argentaria, quibus integros greges unam familiam, & tuam fecisti: quæ nunc, velis, nolis, rumpente imperatum silentium dolore

Est bene *non poterit dicere, dicet* Erat.

Etsi enim funus tuum celebrari erudito luctu noluisti, quod plures suppeterent ad plausum, quàm ad planctum causæ; tamen, quia felix fieri non potuisti, ut non unà multi miseri redderentur, quibus tua manus subducta est, privatæ calamitates præpotuere, ut in Triumpho tuo mortalem habueris neminem, qui rideret. Dies ille lætitiæ Iustitium fecit, qui tuæ Initium fuit; ita, quantumuis sereno Cœlo, nimium quantum fuit pluviarum.

viarum. Penicillus, & calamus, quibus vis facta est, personatâ, & scenicâ lætitiâ tibi Libertatem gratulati sunt, cùm mallent flere: etsi fingere illis necesse non fuit, neque negant felicissimum esse, qui casses effugerit, quibus instratus est orbis terrarum, fallacissima area, &, in perniciem nostrã, nimis quàm illecebrosè concinata: viscata omnia Fortunæ Bona sunt; & quis est, qui non uno unguiculo hæreat, imò sæpe toto animo iaceat in hoc visco? neque opus est illicibus avibus, cùm vltrò advolent prodigi Libertatis, & inter captos ambitiosissimè certetur, quis luculentiùs se probet mancipatum, multísq; morte durius est, nullas splendidæ servitutis notas collo circumferre; nec esse Torquatum. Hæc tibi, Felicissime Princeps, meditata studiosiùs, quàm ulli tuæ Sortis Mortalium, initia fuerunt magnarum cogitationum, quæ te nostri seculi Miraculum fecerunt; neque enim unquam sine gemitu spectasti istud Fortunæ

MISSERIMVM AVCVPIVM.

Hinc illæ tuæ voces,

Ingemui, quoties captivas, aucupe Mundo,
Vidi, passus idem, vel meriturus, Aves.
Nec tamen effugij patuit mihi rimula, donec
Mors scidit angustas imperiosa plagas.

 Parciter

Parcite, Mortales, Morti maledicere; Dextra
Quæ Libertatem donat, Amica fuit.

Ah! difficile est, carnifici generis Humani dare tam pulchrum nomē: quando ne id quidem falci imputamus, quod supra Aucupij huius ludibria, & infamia aucupum arbitria evectus, Vnus, uniúsque tibi imperasti, verè Liber, & Tuus; brevissimo titulo, etiam Regum potentiam egressus. Neque enim Regni tui Annos à Mortis Falce numerare incipimus: quo die Principatus te fastidium subijt, cœpêre: illa verè Laconica vox tua, Non Serviam, sed ne Imperabo quidem, Regem Te fecit: Hinc digere Annos tuæ felicitatis; quos Tu quidem ferè solos optes tumulo inscribi, ut propriè tuos, vel, quod idem est, Dei: qui cum è Rep. generis humani censeret, esse aliquem, in quem Fortuna nihil posset, Vitali Filo adstrinxit Te orbi terrarum, pulcherrimum spectaculum magna admirantibus, secuturis etiam exemplum: nihilominus Cœlum Animo tuo aperuit, ut frequentiùs in illo, quàm in corpore habitares; Honorarius hospes, & qui vasa quotidie conclamaret, velut migraturus. Id Filum abrumpere reverentia maioris imperij non sivit; Dei Columbam Te professus, desideria tua gemitu prodere satis habuisti, quæ Deo Telum extorserunt, quo Mors etiam hoc vinculum abrumperet: quod Tu, ut ex Pharetra

Pharetra amoris depromptum adorasti, ipsi Sagittario adeò non iratus, ut & Manū laudares, &

FELICISSIMVM VVLNVS.

Iam digito potui, jam tangere vertice Cœlum,
Aláque, qua peterem sidera, nata fuit.
Vna morabatur non magna catena volatum,
Donec & hanc rupit Mortis arundo Moram.
O bona Mors! in Me lenta nimis usa sagitta es;
Iste tuus pridem debuit esse scopus.

Minimè gentium! Optime Princeps; quin & nunc illa

Avem contingere ferro
Non potuit; nodos, & vincula linea rupit,
Queis innexa pedem, Malo pendebat ab alto;
Illa Notos, atque alta volans in nubila fugit.

Quod à Principe Poëtarum, ut de Te dictum, GVILIELME, pictor intellexit & in tabula explicavit; animū non potuit, quo nunc hæc mortalia despicis, & inania studia, vel improba etiam, inter quæ vita laceratur à nescientibus vivendi causas. Quis enim negotium suum agit? aut melius, quam Formicæ in suo regno? vides ergo non fecisse orbi iniuriam, qui illum Fortunæ, *vt pilam*, substravit, velut indignam, quæ in Regum manus veniret aliter, quàm ad Ludum, non magis serium, quàm quo Leones, in Cavea saxeos globos

 iactant,

iactant, sed cum contemptu, neque in argumentum virium; habet ergo à Poëta nomen suum

MVNDVS PILA.

Muscarum Nidus, Formicarúmque Theatrum,
Non capiunt animos, ô Leo Boie, tuos.
Sustentantur acu, pendent mortalia Filo,
Nec sunt Semidei digna subire manum.
Nunc quoque sublimis cœlo mirabere, quemquam
Tam misera puerum ludere velle pilâ:

Quæ insuper, ut olim Publius dixit, Vitrea est, & cùm maximè splendet, frangitur, neque tunc quidem lacrymis digna; quando nisi per rimas, ruinásque illius, via non est, ad veram Libertatem. Avi nec Crystallina cavea tanti est, ut grandini succenseat, ingratum hospitium scindenti: Cœlo multò meliùs tegetur. Carcerem suum nemo, nisi insanus, amat: Tu tuum deseruisti ridens, Optime Princeps, &, qualiscunque nobis visa est, quæ caveam disiecit, tibi tamen fuit

OPTATISSIMA TEMPESTAS.

Non facis ad nostrum carcer Crystalline votum;
Nec me Fortunæ vitrea dona juvant.
Felix, quæ tandem hæc fregit specularia grando:
Tempestas nunquam mollior ulla fuit.
Vna fenestra mihi satis est, pro pectore; Nostrum
Quæ Candorem orbi, vel tibi, Christe, probet.

Adde, quidquid dignum præterea est Dei oculis.

Super!

Superi! quæ ſpectacula dabis, cum totum Modeſtiæ tuæ velum reduxerit Deus, & hunc Solem, oſtendet orbi, cuius neque Vmbra ſine radijs eſt.

MISSIO EMERITO.


Vtimur Modeſtiæ tuæ verbis, Optime Princeps, & omnia humilia nomina conquirimus, non ſine iniuriâ tuarum virtutum, quæ cum non Missionem, ſed Triumphos meruerint, & Imperatoris nomen, nos te velut Gladiatorem ab Arena Rvde Donatvm dimittimus; quid enim aliud eſt conatus noſtri Amoris, & Rudium Muſarum; quibus tamen infantibus, non tantùm ex Imperio tuo eſſe licuit, ſed quia tam conſpicua Virtus digitos magis poſtulat, quàm linguam, & oſtendi etiam à mutis poteſt. Præco tuus ipſe fuiſti; pridémque rerum geſtarum magnitudine effeciſti, ut ſilentium noſtrum tibi non poſſet nocere: quemadmodum nec Othryadi Lacedæmonio, cùm, erecto de cæſis hoſtibus Trophæo, ſuo ſanguine, moriturus inſcripſiſſet, Vici, neceſſe fuit tumulum exornare, ipſo Virtutis colore & ſucco, & Heroica illa voce ſatis pictum. Nimirum quiſque non modò Fortunæ ſuæ, ſed & Famæ optimus eſt Faber: neque Hercules, quem Pictor, tuo vultu, expreſſit, cùm in manu clavam haberet, opus ſibi calamo credidit; ſatis diſertum ſe ratus, cum

CORONIS AD CORONAM.



QVID
MOLLI
PLACET
INCVBARE
PLVMÆ DOR-
MITVRO Æ-
TERNVM IN
HAC CVLCITRA,
NVLLO EXCITANTE ?

PERPETVAE SECVRITATI S.



BONVM CERTAMEN CERTAVI, CVR-
SVM CONSVMMAVI &c. 2. Tim. 4.

ad Orbis, Victorijs suis impleti, terminos, depactis Columnis, duo verba inscripsit NON VLTRA; etsi illius limites prolati iam sunt, viâ, non tantùm in alium orbem, sed etiam in Cœlum apertâ, quò cùm Virtutes tuas intuleris, ponimus sanè nos, ex merito, has laboribus tuis Metas, quibus Tu ipse inscribas, iam demum ex vero

NON VLTRA.

Venimus ad nullo tentatas Hercule Metas,
Atque Leoninas ponimus exuvias.
Crux mihi Clava fuit: Nostri hanc versare Nepotes,
Mollitámque mea discite ferre manu.
Sic emitur Cœlum: bis sex tulit ille Labores?
Nec iactare volo, nec numerare meos.

Sed ne possis quidem:

Pauperis est numerare pecus:

& qui virtutes suas potest in digitos mittere, nimis parcè fuit Bonus. Virtutum stadium non est dimensum ad passus: hanc illi curam remittimus, qui *vestigia pedum nostrorum considerat, & gressus dinumerat* exactus censor: Tu & Princeps, & Canus, & iam toties Olympionica, figebas tamen in senecta fortiùs pedem, etiam Iuvenum Anteambulo, & illos in ruborem, lassitudinémque daturus, quibus tanto post te interuallo relictis, etsi Modestia tua parceret, convitium tamen cani faciebant; turpe fuit, non posse Principem nos sequi Plebeio pede, & candido capiti unam Coro-

nam præripere: Quamquam Tu coronas ipsas fugere visus es; adeò, post positum Principis Diadema, nihil in frontem tibi placuit, quod Modestiam tuam paulò splendidiùs tegeret, & proponeret adorandam. Injicienda tibi ab ipso Brabeuta manus fuit, quæ nisi in cœlum rapuisset, ipsas credo coronas defluxuras fuisse, in tam charum caput; Pictor certè ut deruentes pinxit, & impendentes

OPTIME MERITO.

Siste fugam: jam non est declinare Triumphos,
Et canum sertis velle negare caput.
Mors tibi Gramineam donat prostrata Coronam,
Quernam SOTERI dat Pia Boia suo.
Et quis cœlestes numeret? patiere, quod horres;
Vnam excussisti; jam, puto, Mille feres.

Succumbendum sub pondere esset, nisi Virtus, quidquid meruit, ferre posset, utique non fatiganda honoribus, cùm neque laboribus cesserit. Enimverò absoluto Virtutum Orbe, quid aliud supererat, quam Circulus Æternitatis? quem unum nunquam finire posses. Superi! quis ille dies fuit, quàm festus cœlo? cum tot pulcherrimè actis annis, quorum cursus meliùs virtutibus tuis, quam Solaris, suis signis, destinguitur, ultimam clausulam imponeres, in Solstitio tuo quieturus; cùm illud diceres nondum fessus

Vixi;

Vixi; quemque dedit cursum Natura, peregi.
Miseri nos, in arena ludimus, & imminente cervicibus fatali ferro, inducias poscimus, ad claudendum malè tornatum, rotundatúmque vitæ orbem, miseriores Archimede, quem in suo pulvere radio inerrantem hostilis gladius oppressit. Pictor illum nostri erroris socium, aut speculum proposuit, qui, per vitam omnem, nec vivere, nec mori discimus, & in tam serio ludo, etiam senes Elementarij sumus; quibus tot dies fluunt sine Linea, neque id quidem scientibus, stare nos iam in

VLTIMA LINEA.

Orbiculum nondum in docta finivit Arena,
Quando Syracusius concidit, ense, senex.
GVILHELMVS *totum virtutum absolverat orbē,*
Quando Senem jussit Parca modesta mori.
Vna superfuerat ducenda, in pulvere Mortis,
Lineola; hanc ridens duxit, & occubuit.

Quid enim restabat, Felicissime Senex, saturo Vitæ, & Gloriæ? cùm Fortuna humana omnia fastidienti, & iam olim repudiata, dare nihil posset, & Virtus omnia vellet; stipendium alibi plenum numeratura, hîc iam omnibus auctarijs, quę dari sic militantibus solent, in te effusis: cùm Patria queri nihil posset, nisi te Cœlo nimis maturū; cùm post veteres titulos etiam hunc nacta esset, ut propter te Sancta; per Triumphos Filij Fortis

diceretur, & invicta. Post tot decora (sine me Dolor verum dicere) licuit tibi mori; libuit certè; ut quod unum tot felicitatibus deerat, fieres Immortalis: Hoc nimirũ est, suis Triumphis obrui, & quod Epaminondæ, quem comparare Tecum Pictor ausus est, fatale telum edulcavit, abire

SALVO SCVTO.

Si salvâ potuit ridens decedere Parmâ,
Thebani quondam gloria prima soli:
Quâ Te fronte putem Mortem, GVILIELME, *tulisse,*
Cùm patria ex voto stet clypeata tuo?
Cùm fidei dederis tot Munimenta, Ducésque,
Rideat hostiles vt cataphracta minas.

Dedicabimus hoc Scutum Immortalitati, picturi totum gloriæ Filij tui argumentum; sed velut in Mineruæ Ægide Phidias suum nomen inseruit, non nisi cum pernicie admirandi operis eximendum; sic stabis & Tu Victori proximus adeò non invito, ut se neget sine te Vicisse; certè non nisi tecum est Triumphaturus.

FAMA POSTHVMA.

QVæ, ut maximè velles, non patitur angustiori tumulo Te inferri, quàm sit Orbis Terrarum, quem, quantuscunque est, incomparabilis Principis ruinâ afflictum, atratum tibi ire exequias iussit, quamquam non eo silentio, quod nobis

ASCENDE VT DESCENSVRVS.



✠

AN
TIBI,
AN MI-
HI CALVA
IN A NIOR?
TIBI CREDO,
QVIA MEI OBLI-
VISCERIS.

AETERNAE MEMORIAE S.



MEMORIA ILLIVS IN BENEDICTIONE EST. Eccles. 45.

nobis ultimum tuum imperium imposuit; negat enim, illâ se lege teneri, quæ propè impium se faciat, si tuas virtutes tecum patiatur sepeliri; quas vtique à funere & vrnâ immunes esse deceat, cùm scelera nondum sint sepulta, quę neque nasci quidem multò melius fuisset. Tot ergo Præficas habes, quot Linguas; Lessúsque tibi, confusis omniũ Gentium vocibus, cantabitur, eodem tamen argumento, omnibus te PATREM dicentibus, PRINCIPEM PACIS, PATREM AVREI SECVLI, COLVMEN RELIGIONIS, HOSTEM IMPIETATIS, SPECVLVM VIRTVTIS, GLORIAM NOSTRI ÆVI, FVTVRI EXEMPLVM; quidquid denique pulchrorum Nominum capere Virtus potest, sed Regia, & in tanto fastigio eo pulchrior, quo rarior, in Tumulo audies; &, quia vera audies, non erubesces. Nullus orbis Angulus est, quò nominis IESV radium illius Societas intulit, in quo non tibi cum gemitu parentabitur: Æthiopes, Malabares, Indi, Iapones, ultimique hominum Seres, quod Regum olim nulli, nunc etiam paucis contigit, in tuum funus suspiria mittent, daturi etiam cinama, & totam Arabiæ Messem, in qua, ò noster Phœnix! renascare. Brasili, apud quos olim homines hominum sepulchra fuere, ingemiscent fato tuo, & Humanitatem suam tibi sincerissimis lacrymis probabunt. Præter impios, nemo erit, qui non aliquid calidius tibi appre-

apprecabitur, quàm illud vetus, MOLLITER OSSA CVBENT! Nihil ergo nactus es illâ fatali lege, quæ nobis os ligavit. Orbem totum Sigalionem non facies; quem Virtutum tuarum historia in laudes tuas fecit disertum. Magna Virtus silentium, nec cùm imperat, impetrat; quæ tota cum Domino suo sepelitur, & tribus ulnis claudi potest, non habuit staturam Virtutis, nec pervenit ad huius nominis maturitatem. Parcus ergo Pictor fuit, qui unius montis molem, in effigiem vultus tui absumpsit, quando idem olim Stasicratem fecisse meminerat, qui Montem Athon in Alexandrũ transformaturũ se dixerat, liberali promisso, & cuius etiam Alexandrum puduit, ipso cæteroqui orbe maiorem. Tu id sine sumptu impetrasti: Imaginem Virtutis tuæ totus orbis circumfert: Boica verò composita ad exemplum tuum, multò illustriùs te repræsentat; quę quidem optima Regum ambitio est, formam suam non scalpro, aut penicillo tradere, sed imprimere animis, qui fere cerei sunt, & facilè admittunt effigiem Principis PII, qui PATER mavult audire, quàm DOMINVS. Hæc ergo iam, ô Magne Princeps, verè tua est

VIVA IMAGO.

Par vt Alexandri Fortunæ staret Imago,
In statüam totus penè abijsset Athos.

Non

Non contenta stetit tua tanto limite Fama;
Mons vnus fuerat, te, GVILIELME, *minor;*
Aemula tota tuos biberit cùm Boicâ mores,
Effigies Animi est illa vocanda tui.

Quanquam hæc imago vota non exatiat; uti fere pictor amantibus non satisfacit, quorum amores, & desideria etiam ad vivum exscripsit. id tantùm impetrat, ut dicatur à flentibus

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;

Eheu! FEREBAT: nunc illi Oculi conciliatores serenitatis caligant; & illud Os aureum expalluit; &, quod Pauperum æternæ lacrymæ non elugebunt, MANVS TVÆ IACENT, & Mortis imperio contractæ sunt, nec funguntur munere suo, BEARE neminem possunt: quod si tibi infelici olim fato contigisset, multò veriùs, quàm Titus, qui & ipse *Amor, & Deliciæ Generis Humani* dictus est, conquerebâre, te DIEM PERDIDISSE. Hoc scilicet est, quod Vota, & fere manus etiam pauperum acuit in Impietatem; ut hanc tibi quietem, & ipsum propè Cœlum invideant, quod tamen pietate, quâ illorum gentem complexus es, potissimùm emisti. Te nimirum quærunt anxij fossores, quos pictor expressit, certi, apud te latere venas auri, fortunásq; suas in tuo tumulo sepultas. Illorum una vox est

NON

NON ANTIGONVM REFODIO.

Antigonum indecorem sceptris, anus improba quondã
Effossuram Vrnâ se minitata sua est.
Quas quæres latebras, quo defodière sepulchro,
Fossorum effugias ut GVILIELME *manus?*
Nam quamquam Patri successerit Optimus Hæres,
Boia tamen Patres mallet habere duos.

Sed qui damnant irrita vota, & spes nimis improbas, noruntque æquè avarum Cœlum esse, neque solere tam charas gemmas remittere, ij, quod neq; Tu damnes, sequuntur te interim animis, & cupiunt suo Principi iungi, si non ut satellites, saltem ut Vmbræ; quod tibi nomen hodie familiarius est, nostrísque votis tantò aptius, quantò certiùs; aliter nemini fas esset te sequi, nisi affectetur, ut Vmbra, quæ semper, pari cum corpore passu, ambulat. Sed ignosce, Princeps, imbecillitatem confessis, & desperantibus se tuo pede metiri: Maneant hæc Tua in Virtutis stadio impressa vestigia, habeántque admiratores, quia æmulos non possunt; videant te etiam ventura secula, totúmque ex pede Heroa colligant. Nulli erit verecundiæ, â GVILIELMO, in hoc cursu superari, cui præter Reges pauculos, quales vix singulis seculis prodeunt, nemo potuerit componi. Nos te, quod olim ad Rogum cantatum est, QVIQVE SVO ORDINE SEQVEMVR. & quia currere non licet, repemus, humiles animæ, & cælestium

cælestium inanes: satis est, idem nobis, quod Regibus stadium concedi, etsi sequi te non liceat

HERCVLEO PEDE.

Ingenti Alcides dimensus Olympia plantâ,
Ad metam, nullo ponè sequente, ruit.
Nemo illo est mensus sese pede; sicut Olympum
Cùm peteres, nemo se, GVILIELME, *tuo.*
Ah saltem, quando nemo te passibus æquat,
Possimus pede te pumilone sequi!

Neque tamen id solum, aut maximum Tui nominis apud nos vestigium extabit; etiam cotdibus nostris notam illius impressisti; quemadmodum Aiacem flos illius sanguine pictus exscripsit. Sed sparsio hic mollior fuit; Ingentium beneficiorum imber, ingens, apud nos, Nomen fecit; stigma dicerem, si esset â flamma: feremus tamen, quidquid est, nunquam delendum, victuri, moriturique ingrati; nisi fateamur, nos tibi animam debere. Causam interim nullam dicimus, quin abuti etiam nostrâ operâ possis, &, si alias Pyramides dedignaris, ex cordibus nostris vivam construas. educ in quantamcunque voles altitudinem; & si potes, cœlo insere: tantò propiores erimus nostro creditori. Denique, si vis, in Animis nostris Mausoleum habebis. Quo iure Artemisia Mausoli cineres bibit, nos tui Memoriam Vivam hauriemus; ut qui GVILIELMI sepulchrum quæ-

runt,

runt, ſciant illum in noſtri Cordibus conditum; humili fortaſſis tumulo, & tantis virtutibus impari, ſed vivo, & æternaturo. Ita vovemus, & ultrò Epitaphium Carmen inſcribimus

MONVMENTVM AMORIS.

Aiacem celebrent inſcripti ſanguine Flores,
Eſt tua, Dux, major Fama, Cruenta minùs.
Non in flore tuum eſt, ſed noſtro in pectore Nomen;
Nos erimus cippi, Dux GVILIELME, *tui.*
Vincitur Aes ſenio: contemnite Marmora Reges,
Et ſtruere Humanas diſcite PYRAMIDES.

CHORVS DVODECIM VMBRARVM

Circum Mauſoleum.



LEGISTI ſępe, & ſępius, fortaſſe, quàm velles, quisquis MAVSOLEVM hoc inſpexiſti, ſummam Votorum fuiſſe GVILIELMO, LATERE. Ne ſcilicet aliud mortuus ageret, quàm vivus egiſſet. Hinc de ſe NIHIL; de MORTE, piáque moriendi RATIONE, pro ſuggeſtu ad populum diſputari voluit copiosè. Obtinuit vtrũq;, ſi fructum ſpectes; ſi impotentia Clientum deſideria, in altero fortaſſe non habuit tam obſequentes Poſteros, quàm ſui amantes. Neq; enim Amor

Amor regi, aut ligari potest: habet enim mollia nimis vincula, quæ non tam rumpuntur, quàm soluuntur. Prodeant igitur PRINCIPIS imperio ipsæ in lucem Vmbræ, & MAVSOLEVM choro cingant, claudántque: Spectator Mundus esto.

VMBRA I.

Ad Superbos.

In hoc ludibrium hominis, in hoc carcinoma, in hoc pus abîere Superba frons, vorticosi cincinni, fucatæ genæ, & cætera inania, quæ hodie arrident, vt cras defleantur.

VMBRA II.

Ad Divites.

Ex omni gazâ meâ, quam avidus hæres corrasit, hoc mihi Linteum reliquit; ablaturus etiam, si quid vilius dare posset.

VMBRA III.

Ad Epulones.

Hæc est illa fatalis Mappa, in qua, Thyestæo luxu, ipse hospes absumitur parasitis vermibus.

VMBRA IV.

Ad Impios.

Nosti me, nec nosti, mi Homo; alioqui saperes, & alijs moribus viveres.

VMBRA V.

Ad Delicatos.

Hoc tibi pulvinar in Tenebris stravi; ne dicas durum, & asperum; Nusquam altiùs dormitur.

VMBRA.

VMBRA VI.

Ad Tyrannos.

Ex tenebris prorepo, formidando ſchemate, vt tibi ſpectaculo ſim, quo te Mortalem intelligas, & geras, antequam fias.

VMBRA VII.

Ad Iuvenes.

Quis eſt, qui me non metuat? hac Aegide & Meduſâ Gigãtes, & Heroas ſterno. Quî tu ſtares, cùm ego inſto?

VMBRA VIII.

Ad Venuſtos.

Imago tua ſum, ô Mortalis. Inſpice, & diſpice, quantùm tibi placere poßis.

VMBRA IX.

Ad Illuſtres.

Ego, ego ſum Illa, quæ etiam diademata involo, & Regibus terræ ſuccedo. Quia & illi de mea ſtirpe ſunt caducâ, & tandem nullâ.

VMBRA X.

Ad Improvidos.

Audite, quotquot vivitis; Proſcriptionis tabulas ad vos fero; in illis & tuum, & tuum Nomen. Metue, & quidquid adminiculi eſt, cõvaſare ſatage; Cras citaberis.

VMBRA XI.

Ad Longam vitam ſperantes.

Pedes mihi longi fruſtra affinguntur; vbiq; terrarum habito; etiam domi tuæ me angulus tegit; Cras porumpã.

VMBRA

VMBRA XII.

Ad repentè Morientes.

Nec vir sum, nec mulier. Vterque fui; utrique jam nubo. Idcirco hunc torum gesto. Quid si vel hodie tecum Hymenæum celebrem, cui alij lessum accinant?

ARÆ PRINCIPIS INSCRIPTIO.

PIIS MANIBVS GVILIELMI V. COMITIS PALAT. RHEN. VTR. BOIAR. DVC. AVGVSTISSIMI HVIVS TEMPLI COLLEGIIQVE FVNDATORIS MVNIFENTISSIMI. PATRONI TER OPTIMI. SIDERIBVS ANTEQVAM INFERRETVR DIGNISSIMI. MÆSTA PRINCIPVM DOMO. COMPLORANTE OMNI BOICA. ILLACRVMANTE GERMANIA. ADGEMISCENTE EVROPA. COLLEGIVM SOCIETATIS IESV MÆRENS PARENTAT. MINVS QVAM DEBET. PLVS QVAM MORIENS VOLVIT. MAGNITVDINI EIVS OMNIA MORTALIVM PARVA VISA, ET OMITTENDA.

OECONOMIA, seu APPARATVS, ET STRVCTVRA MAVSOLEI TOTIVS.

I.

FVNDAMENTVM Operis jacit DESIGNATOR funeris, tergeminâ GVILIELMI V. virtute, Religione, Iustitiâ, Modestiâ: quæ postrema, tanta in magno PRINCIPE fuit, vt omnem â Tumulo suo Pompam Interdicto removerit: adeò, vti ne Thaliam quidem, Næniam sibi canere voluerit.

II. Graviter rem accepêre MVSAE: & Boica quidē prolixis Elegis, crines vellere, Tumbam ambire, obtestari; ne Parnasso ea res fraudi foret; néue Posteritati multam ingrati silentij deberet; si PRINCIPI, optimè de Litteris, Litteratisque merito, non parentaret.

III. Deliberatum diu: atq; ægrè demum potestas Apollini facta, MAVSOLEI in suo fundo erigendi: eâ quidem lege, vti ne quid sumptuosius moliretur; neu enunciaret, quorum Modestia PRINCIPIS solos Superos esse conscios voluisset.

IV. Itaque negotium dat Apollo, quatuor è Parnasso evocatis

vocatis Architectis; pro numero eorum, qui Artemisiæ olim in Mausolei fabricâ laborâssent: quorum ea solùm cura foret, Cinerem MOECENATIS Musarum Liberalißimi honestè tegere, nihil ad Aegyptiorum insaniam operis mole insanire.

V. Indè mox admota manus, totúmq; in quatuor etiã tributum partes MAVSOLEVM. Tumbam, Columnas, Arbores, Pyramides.

VI. Tectum autem maximè splendere voluerunt Architecti; in quo & faces benè multas, & novem Cælestium Geniorum Ordines suis cum Insignibus & Gnomis constituerunt. Cuius rei Tabulam suo loco inspice.

VII. Et quia SOCIETAS IESV, ob infinita in se GVILIELMI merita, ad se spectare præcipuè judicabat, ne in Vmbra delitesceret tantum Nominis Boici Iubar, plus molita est, quàm ausa: cùm PRINCEPS modestißimus tenebras in ipsis etiam tenebris, & latebras in Sepulchro quæreret. Quod facinus Poëta (tametsi aliud maluisset) illaudatum præterire nefas duxit. Fecit indignatio versum.

VIII. Cùm ergo Interdictum non permitteret, ad quatuor MAVSOLEI Columnas (quod more Majorum fieri debuisset) adhibere Scalprum, aut altiùs infigere Stilum; leui Penicillo Vmbram potiùs, quàm Colorem induxêre operæ: ex qua si minus tralucent Virtutes PRINCIPIS, PRINCIPI satisfecerunt Poëtæ.

IX. Lemmata porrò Picturarum, singulis MAVSOLEI lateribus sic respondent: ad Orientem LECTISTER-

TERNIVM FESSO; ad Occidentem LIBRATA VIRTVS; ad Meridiem TORVS LEONINVS; ad Septentriones, MORTIS SEPVLCHRVM: quæ universa Rubricâ meliùs ostendisset, quàm Atramentum, nisi lugeremus.

X. *Quamvis in Arboribus, quas ad pergulas Columnarum depanximus, læti potius, quàm tristes esse voluerimus: ita persuasit indubitata GVILIELMI Salus, & Beatitudo. Sola enim CVPRESSVS veteri jure luget: OLEA autem, ad quam LEO Boicus Rhombis suis indormit; FICVS, cuius Poma hiantia, Purpuras, Leones, Mitras, Cruces, alia magna ostentant; LAVRVS, à Ventis omni ex parte pressa, nunquam oppressa, felicioribus ramis excrescunt.*

XI. *His PYRAMIDES succedunt parabili admodum sumptu eductæ; quæ cur MAVSOLEI latera vtrinque stipent; ipso Apice loquuntur.*

I. PYRAMIS.

- Frons: BONA MALA.
- Latus I.: SOLIVM HONORIS.
- Tergum.: PROMONTORIVM BONAE SPEI.
- Latus II.: TRICLINIVM IMMORTALITATIS.

II. PYRAMIS.

- Frons: MORS TRIVMPHATA.
- Latus I.: GLORIOSA PARENTATIO.
- Tergum.: ETESIAE PERENNES.
- Latus II.: AESTAS FRVGIFERA.

III. PY-

III. PYRAMIS.

Frons.
SVMMA VOTORVM.
Latus I.
COMITATVS VIRTVTVM.
Tergum
SECVRA CVSTODIA.
Latus. II.
VTRINQVE IMMORTALIS.

IV. PYRAMIS.

Frons.
IMMORTALITATI. S.
Latus I.
LIBERTATI. S.
Tergum.
PERPETVAE SECVRITATI. S.
Latus II.
AETERNAE MEMORIAE.


XII. *Absolvit, & claudit* MAVSOLEVM *totum* CHORVS *duodecim Vmbrarum, quæ Mortales docent, quod Mortalium nemo ignorat,*

Omnibus denique Moriendum esse.

VALE. VALE. VALE.
GVILIELME. PRINCEPS.
NOS. TE. ORDINE. QVO. NATVRA.
PERMISERIT. SEQVEMVR.

Correcta.

Fol. 33. 1. Samsonicum. ibid. 25. Honori. 53. 16. Avus. 58. 1. Camenæ. 71. 22. Orciniana. 82. in fin. Sine 85. 26. sensit is. 86. 2. Nuptiæ. 92. 9. Arena. 97. v. ult. Theatro. 100. 22. incanescere. 114. 18. quoq;.






CORNELIVS LEYSSERIVS



